J. B. CARACCIOLI C. R.

IN PISANA ACADEMIA PHILOSOPHIAE PROFESSORIS

VITA D. CAJETANI TIENIS

Inſtitutoris Ordinis Clericorum Regularium

Scripta occaſione Commentarij de Geſtis ejuſdem D. Cajetani ab ipſo Caracciolo compoſiti, & ad Scriptores *ACTORUM SANCTORUM* miſſi, illo non uſos.

PISIS, ANNO MDCCXXXVIII.

Ex Typographia Jo. Dominici Carotti in Via Sericariorum.
Superiorum Permiſſu.

PETRO·FRANCISCO.RICCIO
ILLUSTRISSIMO. CLARISSIMO
SENATORI. FLORENTINO
ORDINIS. D. STEPHANI. EQUITI. PRIORI
AC. PRAESIDI
PISANAE. ACADEMIAE. MODERATORI
PIETATIS. ERGA. DEUM
ATQUE. AEQUI. SERVANTISSIMO
DIVINI. QUE. CUJUS. VIS. MAXIMO. CULTORI
JURIS. PERITISSIMO
ACADEMIAE. RES. UTI. ET. PLURIUM
MAGISTRATUUM
JUSTITIA. VIRTUTE, SAPIENTIA
REGENTI
J. B. CARACCIOLUS
BENEFACTIS. MULTIS. DEVINCTUS
LIBRUM. HUNC. CE
OBSRVANTISSIMUS
D

AL SANTISSIMO PADRE DELL' ORDIN SUO

SAN GAETANO

Manifestatore, e Sostenitore Fortissimo
della Divina Provvidenza
L' Autore

SONETTO

Della Provvidenza Divina.

Questo correr degl' Astri o fisso, o errante,
E lume d'altri, o suo sparger disteso;
Questo in Centro seder di Grave un peso
Volgersi il Tutto in tempi risguardante

A' spazj pari; Questo nascer tante
Sì varie cose o preformate, o reso
Meccanico il Principio; e Questo illeso
Durar di Terra, e Cieli; Il suol tremante,

Le Folgora, le Nubi, il Gel, l' Ardore,
Le Stagion varie; e 'l Mar, ch' ora s' addensa,
Arbitra Cintia, e poi nell' istess' ore

Chiede di pria la stanza; è sola Immensa
Guardia, e Ragion di un Dio: male al furore
Fatale, o al Caso, nome sol, si pensa.

In praefatione pag. xv. *linea ultima* - Cleantis - *emenda* - Cleanthis lucernam.

D. CAJETANI TIENIS VITA

PRAEFATIO.

QUi ad vitas ſcribendas noſtrorum Divorum animum adjiciunt ab ijs ſolis exigua laude digni ducuntur, qui per ſummam inſcitiam ejuſmodi narrationes magnā partem interſpergi Sacrâ Hiſtoriâ non norunt; aut quibus, perdito temporum more, quidquid Sacrum, & Sanctum eſt hujus generis viluit. Virginum concluſarum Conventibus, aut Coenobitarum, cuſtodum deſertorum, quibus umbratilis vita [haec enim leviſſima oratio inſtitui ſolet], aut hominum ignaviâ torpidâ perfluentium, vel item prima tirocinia in Sacris Ordinibus ponentium libera otia eſſe dicuntur, ut in bonum Librorum Lectionem tempus impendatur; inopportunū vero, viros gravibus ſtudijs deditos ad illam derepere. Verùm quantùm iniqua objurgatio ſit, quamvis in ſententia praefracti, rigidique perſiſtant, non modo ſacra Eruditio cum hiſce Hiſtorijs neceſſario copulata, ſed & aliarum

rationum multa argumenta manifeſtè demonſtrant. Nam licet falsô humanum genus de natura ſua queratur, quod imbecilla ſit, & ſorte potius quàm virtute regatur, uti ſapienter admonuit Saluſtius; cum dux, atque imperator vitae animus ſit, qui ſi perverſis cupiditatibus ad luxuriem non dejiciatur, neque per inertiam diffluat, vires quidem habet, & abunde pollens, potenſque eſt ad gloriam viâ virtutis graſſandum; tamen perſentimus profectò nos maximam naturae infirmitatem, & pernicioſa libidine ad mala, protervamque arrogantiam jugiter irritamur. De hujus miſeri fati cauſſa diſputandum nobis minimè eſt, cum primi omnium hominum Parentis noxae eſſe adſciſcendam planè noverimus. Cui non eſt exploratum ad duo quaerenda perpetuô urgeri nos ad commoda vitae, & ad cujusvis generis voluptates? Ex horum duorum appetitionibus crimen non raro promanat, & ſocordia; ut mirum ſit laboris, & actionis nos inimicos valdè interdum defatigari in deſidia comparanda. Validis igitur fulcris naturae hujus ingenium ſubſtinendum eſt, aut etiam in contrariam converſionem torquendum, ne omni ex parte ad prava delabatur. In primis id praeſtare poſſunt praeclara exempla; quorum acris vis poteſtate perverſis cupidinibus reſiſtendi fallacem ſpeciem honeſti illico evertit, haud ſecus ac ſpeculi imago ſub oculos oppoſita falſo putati decoris exturbat opinionem. Etenim iiſdem principiis dico, hominem pronum fore ad imitandum, quae efficere poſſe putat, quibus proclivis eſt ad invidendum bonis aliorum; cum nunquam opprimantur plane ſemina cupiditatis claris nominis, & voluntas devitandi vituperationem. Oratio, & cohortatio vel longè ſegniùs exemplis animos commovent, nulla indigentibus demonſtratione affirmationis, neque de fuco, ornamentisque ſuſpicionem adferentibus; vel certe eo ſollicitantur interdum morbo, ut

faces

faces contrario eventu ad iracundiã magis injiciant tardissime ob acumen non raro senescentem, quàm ad meliora convertant. Historia rem ipsam nitide pandit, & interiori aggressione animum illico occupat; ut licet acerba recordatio molestiam ingerat; tamen insolentiùs sese jactans in ceteris invisis natura, vel narrationem non fastidit, vel fastidiendo subjici patitur; cum oratione alius homo tunc non imperet; neque viventis, aut proximi gesta plerumque enarrentur; ut ideo si devicta ea cedat, dominatũ nulli subeat; neque reverentiam erga notum sit adhibitura; quod utrumque omnino aversatur. Fortia exempla ad christianam disciplinam exercendam complectuntur Gesta Divorum; quae manifestatione rectè exactae vitae ad eadem conficienda ceteros Christianos instituunt, loco quovis severitatem, asperitatemque caussandi intercepto. Etenim si punitio improborum, etiamsi nihilo meliores fiant, alijs monito est, ne in similia incurrant malefacta; eò magis fervida incitamenta subdet adspectus vitae hominis, quae edocet virtutem & in humanis, & apud coelites auspicatissimam. Non me latet, contemptum, & fastidium harum Historiarum excieri bonam partem à ratione, stiloque, quo conscribi solent. Elogia sunt, inquiunt, magis quàm historicae narrationes; laudum praedicationes à puritate remotissimae; fucis refertae; ad ornamenta valdè accomodatae, ad veritatem minùs. Taedio afficit exquisita oratoria amplificatio, qua multa, & non raro una res eadem vehementer dicitur. Alterum est, quod illi ipsi dicunt; multa prodi in eisdem Historijs, quae fidem, opinionemque omnem excedunt; ostenta, praesensiones futurorum, portenta, miracula multa; tùm consuetudines, usúsque crebros, ac familiarissimos cum Immortali Deo; & Coelitibus, cum B. Dei Genitrice Maria; quibuscum unà simul versari homines enunciantur,

perinde ac domestici, & amici; quae stultus, ajunt, credat Judaeus apella, non ego. At vero, repono ipse; multi [verissimum est] ceteros omnes ex ingenio spectant suo. Mirum, quantum sanctitate praestantium Virorum Vitae procul distent ab instituto vivendi ceterorum. Hinc monstrosa habentur, quae potentissimus Deus singularis gratiae indicia illis impertitus fuit, cùm sui studij erga eos argumenta, cùm pietatis, quam cum severissima vita à ratione agendi aliorũ planè absona ij persequuntur, testimonia praeclara. Deìn falsò omnes rerum harum Scriptores eodem vitio aequè insimulantur: & quod in scribente notatur, injuriâ in universum deturpare scribendi genus existimatur. Sed tamen necessarium in primis profecto est, eos omnes, qui ejusmodi Historijs texendis operam navant, modestissimè se gerere; castae, sobriaeque scriptioni semper insistere; contra illud, quod nuper primò loco à morosis criticis culpae vertebatur: tùm non ita sese exaggerantes praeseferre in ijs, quae sola narratione pandenda; non rerum umbras, verùm solida consectari; veracem, & liberam Historiam promovere; profiteri simplicitatem, fidelitatem, constantiamque dicendi; neque pigmento veritatem illinire, quae sinceritate adeo cadat sua, ut suspicionem etiam ingerat falsô narrati. Si directum patet ad optatum finem iter, quare peragere flexuosum? Si opportuna adest copia, si ad rem accomodata materies, quid tantam imponere farturam? Caveant ipsi probare confestim, recipereque quidquid solo, ac primo multitudinis rumore jactatum est. Illius usque memores, quod fallacia fallaciam in Historijs trudet, & ridicula ridiculis subinde confarcientur; ubi primùm contigerit Scriptori per temeritatem in inania vulgi incidendi. Quid probrosius, quàm Sanctae Vitae dignitatem minùs probabilibus conjecturis, aut etiam [liceat mihi id dice-

re,

re, verùm folum de ijs auctoribus, qui in ejusmodi incurrunt scopulos, & fortasse bona animi affectione, neque omnes sunt sane, sed adsunt quidem] aut etiam anilibus commentis, & imperitis fabellis turpiter contaminare? Violare autem decus dicam; atqui veritas quoque reliquorum factorum apud non paucos mirum in modum elevatur; his temporibus maxime, quibus ingens numerus difficilium censorum, eorumque qui longè citius, quàm par mehercle esset, rude jam se donatos ostentant, obortus est. Sacrae Romanae Curiae mos gerendus, severe omnia perscrutanti; quaeque in actis ad consecrationem horum Virorum compositis diuturno examini universa submittendo, ac quaevis non legitima auctoritate fulta rejiciendo, non cuncta, quae super vanas rumorum auras perfluunt, aut extemplo in vulgus dimanarunt, libere in fidem admittit: quod vanitatem ostendit multorum in hoce Scriptorum genere contentorum; auctoresque levitatis redarguit. Etiam atque etiam tandem inhaereant ij narrationi rectarum actionum vitae per aetatem totam ad normam tùm legum, cùm consiliorum christianae disciplinae jugiter perductae; ut vera probitas irreprehensa, in humano genere rarissima, existat legenti perspecta. In id animus, ac cura maximopere intendenda ab illo, qui ad itshaec conscribenda sese dederit: atque ita in invidiam non trahat laudabile scribendi genus; & linguas obserat acerborum quorumdam hominum, qui nil non sibi arrogant censura. Imperatam temperantiam, quàmmaxime poterimus, tueri conabimur in hoc opere concinnando; quod aliorum aequo judicio relinquimus, si rem plane animadverterint; quaeque de D. Cajetano aliorum litteris consignata fuerunt, usquam cognoverint —. Jussit mihi Josephus Brembatius nostri Ordinis Moderator Supremus initio suscepti regiminis, ut Vitam latinam D. Cajetani primi Ordinis Pa-

rentis

rentis adornarem, quae mitteretur Antverpiam Patribus Societatis Jesu Scriptoribus Actorum Sanctorum à Bollandio ejusdem Societatis primo institutorum; unde nomen Liber accepit; ac dein identidem ab alijs Patribus ejusdem Ordinis compositorum. Cum enim in eo opere contexantur in singulos dies Historiae Divorum quorumvis, qui illo die in Sacros Fastos relatus est; dies septima Augusti D. Cajetano sacra jam propior fiebat. Paruimus illico, uti fas erat; item ut observantiam erga Sanctum Patrem collocaremus. Sed commentarius magis conditus fuit, quàm continenter absoluta vita; quippe qui usui horum Scriptorum magis conveniret: & nitidis, elegantibusque litteris efformatum scriptum Romã fuit missum. Sed evulgato tomo secundo Mensis Augusti, in quo D. Cajetani gesta suo loco referuntur, aliam conspexi vitam ab ijs proditam; quam brevi oratione Antonius Caracciolus nostri quidem Ordinis scripsit; inseruitque Collectaneis Historicis de Vita Pauli Quarti P. M. Cajetani Tienis, Bonifacij à Colle, & Pauli Consiliarij; iv. Ordinis nostri Institutorum. Praefixum verò habet Vita more consueto commentarium praevium nonnullorum monumentorum ipsiusmet D. Cajetani, ex Silosio Annalium nostrorum insigni Scriptore excerptorum. Efficere non potui, quin id aegrè ferrem; cum magnam partem in pretio laboris futurum in humanis deputaverimus honorem, & voluptatem, ut vita à nobis scripta primi Ordinis Parentis in praeclarum, diuque memorandum opus immitteretur. Neque Venerandis Scriptoribus satisfecerunt alia adversaria Gestorum D. Cajetani Romae jussu quoque Brembatij conflata; qui eos labores à suis insumi liberaliter voluit, commodi causâ Illustrium Scriptorum: atque ubi haec efficienda de industria curasset, scripta officiosè dono dedit Romae Patribus ejusdem Societatis Jesu; sed vanam spem pretio emit. Verùm pro mea

parte

parte necessitate adactum, me, novi vitam hanc publicè edendi; non Φιλαυτίᾳ, qua tam immodice praetenuja, mea mihi pulcra sint; aut tanto angar moerore conatus frustatos cernendi; sed ut non ita ineptus videar, ad vitam componendam; quamvis haec longe, multumque diversa sit à commentarijs primo constructis. Nam quae publica scriptis facta, ut negligam non facilè induçar; si vel quàm minime nomen tangere possint meũ; neque id sanè aequum. Dictorum verò obtrectationes, vel susurronum mussitationes, quippe omnino vilis animi, paventisque garrulitatem, pro nihilo reputare semper didici, & in nullo discrimine habere. Caussam adferunt Scriptores meo libello non utendi, quòd jam congeriem memoriarum D. Cajetani ad finem perduxerant. Sed tamen nondum opus emissum in publicum fuerat, & non sine emolumento brevem Historiam A. Caraccioli repudiassent; cum pauperrima profecto, uti ostendemus, monumentorum ad Tienem pertinentium, quorum magna pars posteriori aevo producta, maximeque inops dispositionis temporum absque piaculo deseri potuisset. Antonius enim non procul abfuit à prima tempestate post fatum illius: quae alia occasio mihi fuit scribendi; cum, praeter exilem narrationem Caraccioli, & ea, quae in Silosio continentur, non aliam rescifcam hactenus emissam latinam vitam D. Cajetani. Qua de re hac parte quoque, etsi multae sint Tienis vitae, non omni usu nostra destituetur. Quatuor in locis Commentarij praevij Clari Scriptores, seu inter eos Joh. Pinius, qui actis D. Cajetani cogendis praefuit, adferunt nonnulla ex meis commentarijs exscripta. Primo quidem *paragrapho* secundo numero 16. in fine, & num. 20. & 22. sententiamque ubique commendat Pinius. Sed numero eodem vigesimo secundo in fine meritò aut erroris, aut incuriae insimulat auctorem quemdam anonymae vitae

Ita-

Italicae; de qua primis verbis numeri 18. ejusdem *paragraphi* mentionem effecerat. Tum *paragrapho* tertio num. 36. plura memoriae tradit de nostri Ordinis origine prima ex nobis quoque prompta; quae omnia probare videtur: verùm cupijsse se fatetur, ut loca Aicherij Benedictini Scriptoris, & Moreryi indicassem, ubi male Tienem nuncuparunt Marcellum. E' mente nobis excidit, an verè illa designaverimus in ima libelli parte, ubi testimonia omnium, quae dicta fuerant in vita, visum fuit subnectere. Et haud sciam, an nostri librarij, vel illius, quo Romae Brembatius usus est, si non scriptum Florentiâ missum; sed exemplar Romae dedit; fuerit erratum: Profectò in nostro scripto locus Aicherij notatus est in Testimonijs in fine locatis numero 1. De loco Moreryi verè nil invenivimus significatum. Uterque probè expressus in hac vita: & vera Historia Thomae Marcelli Gazzellae exponitur; qui ea duo nomina habebat, Patria vero Cajetanus; unde dictus etiam Cajetanus caussam erroris praestitit, ut cum Tiene commisceretur. Id ipsum praeter Spondanum in nostro commentario jam enunciatum, sed loco neglecto, quem rectè suffecit Pinius, estque anni 1524. in Continuatione Annalium Baronij; Ludovicum etiam Thomasinium fefellit; uti dicetur in vita. Et quidem Gazzella à Card. Pallavicino lib. 2. cap. 4. Historiar. Concil. Tridentini; & ab Antonio Caracciolo in vita non edita Pauli IV. lib. 1. cap. 9. & 10. Thomas appellatur: sed à Silosio lib. 1. nostrorum Annalium pag. 25. & à Panvinio in vita Pauli IV. dictus fuit Marcellus; ab alijs vero nominatus Cajetanus, aut Marcellus Cajetanus, à Patria; quod fecit Jovius in vita Adriani VI. Verùm hi omnes cum Cajetano Tiene non perperam illum confuderunt. Igitur Gazzella nomen habebat Thomam Marcellum; è Gente Gazzella. Scripsi ipse quidem in commentario;

Immo

Immo cum Thoma Gazzella, & *Marcello Cajetano multum opis tulit* [Caraffa] *Adriano VI. in morum censura*. Quamobrem an haec diſtinctio, dum illum paravi, animadverſa à me fuerit, non benè recordor. Certo ſenſus verborum eſt de duobus hominibus. Sed utrum quoque explorata fuerit Pinio, haud ſciam; ſuboluiſſe tamen aliquid illi arbitror, propter ea,quae in fine dicti numeri 36. ſubtexuit. Tertio; ubi *paragraph*. xi. n. 125. initio nonnulla mea Ornatiſſimus Pinius protulerit, quibus narratur Tienis ſacer orror erga aram Sanctiſſimae Mariae Virginis Lauretanae, ut à ſacro faciendo fuerit deterritus; cum ſcripſerim ego, *ut ab operando*, *licet in altari jam conſiſteret*, *neceſſario ei abſcendum eſſet*; poſt verbum *operando*, appoſuit vocem, *Sacris*; quô credo vocabuli interpretatio, aut dicti ſenſus foret, ejus judicio, manifeſtior. Verùm nil opus erat. Non modo enim ſaepiſſimè ſignificat *Operor* rem divinam facere ſine adjectione; verum etiam putarunt nonnulli latinarum litterarum probè petiti alias ejus notiones per translationem ab hac emanaſſe. Dixit quidem Virgilius *Sacra refer Cereri laetis operatur in herbis*. I. Gerog. 339. & Horatius, *Unico gaudens mulier marito Prodeat juſſis operata Divis*. Lib. 3. od. 14. & ſexcentum adſunt apud veteres veros latinos Scriptores exempla. Qui vero latina legit, latinè ſciat, oportet. Quarto *paragrapho* 19. ultimo Commentarij num. 205. paucis perſequitur narrationem acceptae meae vitae, alteriuſque ſupra dictae; meque honoris cauſſa nominat; de quo gaudeo; grateſque habeo. Dein moerere ſe declarat, utrumque Scriptum tempore nullius adminiculi ad manus perveniſſe, cum collecta acta D. Cajetani ad umbiculum jam duxiſſet; atque jure meritoque Ant. Caracciolum praelatum fuiſſe, nimirū priſcum, latinum, & non brevem Geſtorum Tienis Scriptorem; meum denique, ut mihi ſpecioſe ſatisfieret,

ret, ſynonimum. Gentilem, fœdes; & etiam agnatum: male dixit. Neque Theatini ſolemus familiarum nomina ad Ordinis decus perturbare. Jam ſupra dictũ eſt de cauſſa ſeri temporis, quando ſcripta accepta, non ſatis eorum inutilitatem comprobante. Antonius autem Caracciolus antiquus Scriptor, immo & antiquiſſimus, vitae Tienis. Sed antiquitas enarrantis, ſi aetatis non adſit aequalitas, non ad omnia, & ſemper emolumento Hiſtoriae eſt; interdum damno. Tempus enim Univerſitatis rerum edax ſit; aſt non raro antiqua reducit, panditque obſcura: & per cauſſarum revolutiones dejecta protruduntur. Praeterea nimium parcus, & temperans Antonius, atque brevis. Brevem ipſemet ſuam Hiſtoriam nominat pag. 207. (*) & mutila, hianſque Vita proceſſit. Fatetur ipſe idem. *Nihil tamen*, inquit pag. 180. *legi de eius pueritia, adoleſcentiaque*. Inchoatque a geſtis in Urbe Roma, cum primùm illûc Tienes Vicentiâ profectus eſt aetate integra: & ab anno 1481. quo natum eum malè putavit, proſilit, nonnullis ſtrictim commemoratis, ad ann. 1521. Equidem non ſemel expoſtulat Caracciolus Scriptorum eorum temporum altum ſilentium de Geſtis Tienis, noſtrorũ quoque Primorũ Patrũ ſtuporem, & indolentiam de memorijs; quo factum, ut oblivione poſtea multa obruerentur; etſi incuriam noſtratum non culpae, ſed ſtudio ad diligentiùs vivendum, quã ad ſcribendum adſignarit: praecipuè queritur pag. 201. & 202. pag. 214. & 212. Item pag. 214. ubi ad Tienem abeuntẽ Neapolim per magnũ tranſmittit hiatũ: & pag. 233. & 250. ubi lacunam quatuor annorum faciendam à ſe dolet; & fortaſſe alijs in locis. Etiam amplius; non

(*) *Impreſſionis Coloniae Ubiorum apud Kinchium ann. M. D. C. XII.*

non multa de Ordinis prima Institutione, deque summis nostris Institutis exposuit; quod in vita Conditoris praestandum erat: & nil dixit de Conventu Sacrarum Virginum Sapientiae; qui non parvi ad Tienis res, nostrique Ordinis interest. Sed etiam hallucinatus aliquando est, uti in conjectura temporis ortûs Cajetani; & cum dixit pag. 188. reversum eum Romam Venetijs an. 1521. quando Ordinis novi initia fuere parata. Verè enim Venetijs Romam tum non abivit ante annum xxiii. supra sesquimillesimum: quod dicemus in fine lib. primi. Eô accedit ignoratio itineris Veronensis Tienis anni 1519. è tenebris primô educti paucis ab hinc annis à nostro Barziza, narratique in suo Cajetano Veronae; quod ceteris ignotum, Caracciolo longissimè abditum. Plura quoque in vitam inseruit Antonius non multùm ad Tienè pertinentia, alienas historias longiori oratione complectitur, & conciones Historicorum more protrahit; ut nudatum fere peplum inspiceres, corpusve aesopicae volucris, si non suis imaginibus, aut vestitu non suo historia exueretur. Ergo aequa caussa satis intelligitur quare dolendum nobis est, quòd Divi Cajetani Ordinis Principis ea Vita in aeterno opere fuerit inter ceteras selecta, multumque Ordini universo Auctores Honestissimi gratificarentur, si aliqua posset in rem hanc consuli via. Non isthaec congessi, ut mei Caraccioli magno nomini, summaeque doctrinae quicquam velim diminutum: aut etiam ut ejus oscitantia coarguatur: Deus longè prohibeat. Nemo erit neque inter nostros, neque inter alienos, qui pluris faciat praestantem virum, sacris disciplinis satis doctum, latinè quoque, & Graecè scientem; tum eruditione sacrae vetustae Historiae omnium inter nostrates in hunc diem excultissimum. Veritatem exploratam efficiunt multa opera in lucem emissa. Sed non omnia quis & ad Aristophanis, & ad Cleantis,

tis, ut vetus fert adagium, elucubrarit. Nec verò poterat reipsa, ob dictam taciturnitatem Historicorum; propterque studium D. Cajetani illustria facta obtigendi, obsecrandique à Deo suarum rerum silentium; de quo in vita memorabimus. Multò etiam accuratiùs administrantur nunc temporis Historiae, quàm tempore Caraccioli; qui fere omnia verissimè scripsit; sed pauca scripsit; ac mutila multa. Ordinem autem temporum neque servare, neque probe poterat callere. Supplevit, vidi equidem, omnia, aut penè omnia Pinius Commentario praevio, & alijs additis; ut si non absoluta vita emerserit, cetera tamen in illo sint in illustri posita. At Vita in eo opere primas agit, non praevius Commentarius. Et Silosius, unde plura desumpta, non omni affluit copia rerum identidē exploratarum; cum alioquin, pace nostri Historici dixerim, exsecandis multis non careat. Nos quidquid ad nostra tempora pervestigatum, proditumque est solidae materiei cogere nisi sumus, imperatae supra sobrietati inhaerentes; ne in quae docti castigant, nosque improbavimus, incurreremus. Nonnulla invisa litigiorum, olim inter majores nostros, & quosdam alienos Scriptores contractorum de quibusdam nostri Ordinis, & Parentis Cajetani repuli, & contempsi. Fortasse neque ea immitti par, locusque fuisset. Sed generosam Divi Parentis Historiam esse voluimus. Pauca sola contra Scriptorem, qui Ordinem universum multis capitibus offendit, exciderunt. Verùm, praeterquamquod ut liceret mihi aliquantulum exardescere, in justissima caussa veniam petam; praeterea magna sapientia in humanis, non semper singularis hominis caussam, totius tribus propriam decerni. Quod si non constiterit; feralia multa hominibus perpetuò erumpent; videturque fatale, bonam partem exitialium discordiarum inde exoriri. Nec enim si semel in animos nubes suspicionum hac via ob-

obrepserint, facilè dispellentur: magis si furor concitatus, & controversiae fermentū sit motum, nil consilio, sed solo aestu studij partium agitatum, nunquam positurum. Ita D. Cajetani vita procedet ingenuo pectore digna; quae Scriptorem non iracundiam, sed magnanimitatem profitentem praeseferet. Non parum haec Historia à Commentarijs primo missis, uti dicere incipiebamus, mutata est; tamen erant illi multis abundantes: & ex monumentis insignoribus in hanc diem editis de D. Cajetano constabant: nonnulla quoque in ipsa offendi possunt [pauca quidem, & levia] adversantia alijs, quae illic exposita. At eadem omnino est prima ossium compages. Tum secundae curae meliores. Tertio jam tenebamus Commentarios nostros in alia opera inferendos, alijsque monumentis esse adaugendos. Latinitati inhaesimus, quantùm efficere scivimus, & Historia ferebat, incorruptae. Nam quivis satis aestimabit, quàm aegrè intra purae latinitatis limites ejusce modi scriptionum genera coerceantur; inutilibus prorsus Salustijs, Nepotibus, Svetonijs, Tacitis; maximè si de vita agatur Christiani viri excelsi Sanctitate ejus generis [multa enim genera sunt] qualis fuit nostri virtute praecellentis Tienis: cujus etiam exercitatio vivendi constantis semper actionis [quod difficultatem novam addidit] Vicentiae, Romae, Venetijs, Veronae, singulariterque Neapoli mansit; quibus in locis eadem premens vestigia curriculum lacrimosae hujus vitae confecit. Adsunt quidem inferioris aevi Scriptores boni latinitatis auctores, qui haecce latinis litteris verterunt; alij pariter qui nitido latino sermone hasce vitas conscripserunt. Sed, veritatem ingenuè confitemur, illos non legimus; cum proprium stilum per nosmet efformare cupierimus. Conciones non adhibuimus brevitatis studio; utque satius vitae ratiocinatione ductae, quae nunc temporis amatur, insisteremus. Tie-

nes, & Tieneus sine h, & diphtongo ae scribere maluimus; quamvis alij, & nostri, Antoniusque Caracciolus, Silosiusque, quos colimus, id effecissent. Siquidē nomen credimus indigenam à nullis Graecis rebus originem trahere: & quae produntur de Urbe Athenarum, & de Athenio Consule, Arcadio, & Honorio Imperantibus ad vocem Tienis deducta, nulli recipimus. Multa enim sunt ejusmodi stirpium fallacia spectra; eô interdum ambitiosiùs producta, quô nitescere aliunde minus posse orti ex eis explorato viderunt. Certo priscum Patavinum numisma, cujus figura initio libri primi obiecta, ita exsculptum exhibet nomen; quod non parvi est. Immo quid ni Gaetanus etiam, & non Cajetanus juxta numisma naturaliùs diceretur? Plurimorum, quae enunciata sunt, licet interdum non oportuisset, testimonia adjecimus ea, quae pro hisce Historijs reddi queunt; Acta in locis varijs pro consecratione concinnata, Articulos, & Positiones Sac. Congregationis Rituum, Vitam à Sac. Romana Rota Sum. Pontifici praebitam; Decretum Consecrationis, & Scriptores fere omnes, qui de Cajetano quicquam memoriae tradiderunt; quos inter non pauci alieni. Etsi in Scriptoribus secretione aliquando usi simus. Id vero de Sanctissimi Viri gestis singulare fuit; quòd diu quoque, posteaquam è terris abreptus, ad scribendum de illis animum quamplures adjunxerunt; contra quàm fieri solet, ut initio percellat maxima religio, non diu post defervescat ardor. Id vero commonefactum volo, si semel aut iterum Auctoritati Vitae Rotae Romanae, Positionumque Sac. Congregationis Rituum in Consecratione Tienis non consentiemus, non modo à nobis ea, qua par, reverentia erga utramque, factum istud iri; verùm etiam facturos nos habentes validas alicunde exprommptas rationes repugnantes; cum in illis Curijs de actis dumtaxat cognoscatur; Pontifex

tifex vero Maxim. Decreto Conſecrationis definiat. Verùm plerumque teſtimoniorum utriuſque pondere pronunciata roboramus. Illud quoque aequum eſt ſignificare, in quibuſdam opem nobis contuliſſe, dum Hiſtoriam ſcribendam aggrederemur, duos noſtros Theatinos Patres Fr. Berlendium Clarum Scriptorem, & Cajetanum Crocem laudatiſſimos viros: Croceſque parva etiam Adverſaria dono dedit. Memoriam hanc eorum, tamquam praetenue quidem, ſed certum animi argumentum, tum valdè devincti, cum memoris grates ſemper habendi, fore, ut ij accipiant multùm confido.

ERRATA.	*EMENDATIONES.*
pag. 2. *lin.* 6. Pierius	Prierius.
42. *lin.* 21. ſequitur utrum	ſequitur, ut, utrum.
47. *lin.* 2. ita narrationem	ita illic narrationem.
64. *lin.* 11. exortis	exertis
70. *lin.* 19. Accademijs	Academijs.
lin. 30. Accademias	Academias.
71. *lin.* 7. Accademijs	Academijs.
72. *lin.* 24. vel cri	vel γρύ.
88. *lin.* 11. Antiſtites	Antiſtes.
107. *lin.* 8. Accademiae.	Academiae.
108. *lin.* 6. Chlatris	Clathris.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

LIBER PRIMUS.

Perilluſtrem eſſe Tieneam Gentem Vicentiae, quae urbs eſt Italiae; pluribuſque inſignibus identidem exornatam omnes Hiſtorici teſtantur. Ex ea ortus Cajetanus, Gaſparo patre an. J. C. MCCCCLXXX. Xyſto IV. P. M. & Friderico III. Imperat. aliquorum ſententia; quam communi aſſenſione receptā credidit noſter Magenius poſtremus Scriptor vitae D. Cajetani (1). Noſter Ambiverius in Vita Cajetani natum tradidit an.1478. (2). At noſter quoque Ant. Caracciolus hiſtoriarum perſpicax explorator, quo anno vere Tienes in lucem prodierit, non admodum conſtare exiſtimavit; conjectura arbitratus, ſed male ea vero proximè auguratus, fuiſſe an.1485.(3). Fortius in Vita D. Cajetani annum 1480. poſuit; addiditque ortûs menſem Octobrem (4). Nos Magenio adhaerebinus, cum ſit

(1) *In Vita D Cajetani par. 1. lib. 1. cap. 2. n. 11.* (2) *Ambiverius in Vita D Cajetan. lib. 1. cap. 1.* [3] *In Collectaneis Hiſtoricis de Vita Pauli IV., Cajetani Tienei, Bonifacii Collii, & Pauli Conſiliarii. In Vita Tienis.* (4) *In Vita D. Cajet. lib. 1. cap. 1.*

modo sententia constantissima; & cujus historia, siquidem ordinem temporum, & memoriarum copiam spectaris, longè caeteris praecellit. Tieneae progeniei claritatem, avorumque Cajetani decora idem Caracciolus in ejus Vita, neque omnino presse; itemque in praefatione suae Aureae Rosae Ludovico Tieni illustri militi dicatae Sylvester Pierius O. Praedicatorum patefecerunt. Inter alios commemoratur doctrinae peripateticae valde gnarus Cajetanus Patruus Magnus nostri Tienis; ita nominatus, quia natus Cajetae apud Regem Ladislaum; unde & illud nomen inditum huic Cajetano (1). Profitens is publicè disciplinas in Patavina Accademia docte Stagiritam interpretatus est; quod ex imagine numismatis cognosces. Illi quoque monumentum a Patavina schola decretum Patavii, cum inscriptione perquamhonorifica -- *Cajetano Vicentino ex clara Tienea Familia, Canonico Patavino, viro integerrimo, Theologorum sui aevi facile principi, Philosophoque eximio: cujus doctrina cuncta orbis gymnasia illustrantur; hic datus est locus* [2]. Illustre quidem non parum supererit, etsi consuetam verborum jactantiam concideris. Certo Theologicis litteris pariter instructus intelligitur. Plura scripsit, & Libros condidit super variis Philosophiae Aristotelis. Virtutem, justeque promeritam famam conditũ numisma coarguit: quod non vulgare tum [seu etiã crebrũ vel mediocris pretij viris, aut ab eis expetitũ, aut sibi ab ipsismet confici curatũ] adsequuti etiã essent perditi histriones, uti nostra hac tempestate, lenique arte musici, & virilibus feminalibus divaricatae Saltatrices, cantricesque, splendida scorta. Matrem habuit Tienes Mariam Portam Vicentinam Nobilem, atque ex honorata Familia: quae integritate quoque vitae commenda-

(1) *A. Caracciolus Ibid. initio*. (2) *J. Ph. Tomasinius in Elogiis virorum litteris, & Sapientia illustrium*.

datur (1). Uterque parens dignitate Comitis irreprehensa praeditus erat. Fratres habuit Gasparus Antonium Equitem, & alium Equitem ignoti nominis, quod ipse sciverim; triumque Liberorum Antonii Tutor fuit (2), Ferdinandi, Hieronymi, & Roberti. Quidam duos Filios Gasparo tribuerunt Cajetanum, & Johan. Baptistam:



sed tres habuit: tertius Alexander nomine (3), qui praecoci fato praereptus est: & Johan. Baptista natu major:

[1] *Ferdinandus Tienes in suis Consiliis apud Fr. Maggium C. R. in novem sermonib. de D. Cajetan. serm. 2. cap. 1.* (2) *Magen. ibid. cap. 111. n. 16.* [3] *Magen. ibid.*

jor; proximique Stipitis figuram subnexuimus (1). Quo anno è vita excesserit Gasparus, diu anceps: ductor erat Turmae Cataphractorum, Roberto Malatesta Summo Duce in insigni victoria agri Romani contra Principem Calabriae, agmine impiger, praelioque strenuus (2); & non diu post occubuit (3). Prisci Scriptores parum de hoc tempore disputarunt. Nonnulli recentiores vivum retulerunt, quando Tienes, uti dicemus, nimis abjecti vestitûs redargutus fuit. Noster Dentices in D. Cajetani vita (4) scripsit a Gasparo eximios praeceptores praebitos Cajetano: quare ante ann. certe decimum, vel duodecimum pueri non fato functum eum judicavit. Sed noster etiã Th. Caracciolus Archiepiscop. Tarentinus in Elioclero hanc mortem constituit paullo post dictum praelium an. 1482. (5): rectèque decet non potuisse an. 1500. inter viventes illum agere; cum partitio bonorum effecta fuerit eo anno, uti enarrabitur, inter nostros Tienes, & Patrueles: quod ex epistola M. Antonij Tienis novisse se monet. Et vere hoc anno mortem oppetiisse Gasparum procul omni controversia decernere oportet. Compertae enim postea fuere in Tabulario Michaelis Tienis publici, legitimique Codices membranei scripti an. 1482. 16. Kalend. Novemb. Tabellione publico Vicentino Nicolao Ferrettio (6); in queis Mater Porta publicè sancita exponitur, cum id impense postulasset, tutrix Libe-

(1). *Magen. ibid. cap. 12. n. 87.* (2) *A. Caracciolus ibid.* (3) *Magen. ibid. cap. 3. n. 16.* (4) *In vita D. Cajetan. lib. 1. cap. 2.* (5) *In Elioclér. lib. 1. §. 1. Etiamsi nescio qua hallucitatione §. 2. dicat annum 1485. Elioclerus, sive Historia D. Cajetani. Liber est ita inscriptus nomine Nicolai Auxentij, compositus a Th. Caracciolo C. R. Archiepisc. Tarentino.* (6) *Apud Magen. in vita D. Cajetani p. 1. lib. 1. cap. 111. n. 16.*

Liberorum ob motrem Patris; quae certo eo tempore acciderat. verba sunt -- *In Christi nomine -- Amen -- Anno ab ipsius nativitate millesimo quadringentesimo octogesimo secundo -- Indictione . . . . Comparuit spectabilis Matrona Domina Maria de Portis, & quondam clara consors strenui, & praestantis Armorum ductoris Gasparis de Thienis cultu lugubri, funereaque veste induta; ac facie dejecta, & oculis in Terram semper defixis, summo cum dolore affata in hunc sermonem miserande erupit: me ut proximiorem in Tutricem, legitimamque natorum, & facultatum suarum Gubernatricem decerni instanter contendo; ut nati mei sicut lineamentis, & specie gratiosi, egregiaque indole praediti sunt, ita seminarium domûs, generosum familiae sobolem, lectissimam Thienei nominis propaginem per morum instituta, ac litterarum studia enutrire queam; eorumque patrimonium ab avis traditum conservem, & augeam. Qua requisitione audita, intellectaque ipsius Dominae Mariae Integritate, Pietate, Religione, Caritate, Prudentia, Vigilantia, & Studio . . . . eandem Mariam verè in Tutricem elegit.* Per alias Tabulas idem confirmatur eodem anno conscriptas; ubi Gasparo mortuo alii duo Tienes Tutores trium ex Antonio fratre natorum suffecti leguntur (1). Noster Hieronymus Contadorius Argotus Lusitanus in vita D. Cajetani Lusitana (2) plane ostendisse se putat, non fuisse è vivis ereptum Gasparum ante an. 1484. Nam Epistolam a Cajetano ad patrueles datam mense Augusti anni 1524 profert, in qua inter alia haec insunt -- *Il vostro dispiacere contro me concepito, & contro vostro Cugino [Joh. Baptistam] sotto pretesto d'esser pregiudicati già sono quarant' anni, dacchè mio Padre fu vostro Tutore; e per conseguenza nella divisione fatta tra noi . . . . .*

At

(1) *Magen. ibid.* (2) *Advertencias previas pag.* 14.

At vero, ut omittam in solum Argotum Epistolae fidem incumbere; cum nullus locus, ubi ea sit, designetur; nec quicquam de Epistola adjiciatur; quae argumento certo necessariè conveniunt; facillima profecto est explicatio; quia Tienes communissimo more loquendi rotundo numero quadraginta pro quadraginta duobus scribendo usus est. Quod per enarrata argumenta contraria manifestatur. Et praemonere erit opportunum, nonnulla contra ceterorum historias, quaeque non recipiuntur, fuisse ab Argoto prodita etsi recenti Scriptore Vitae D. Cajetani, atque non indiligenti; potissimum decepto in ordine annorum, & itinerum, quae instituit Tienes. Major errandi caussa cum ipsi, tum alijs ignorata profectio, quam is arripuit Veronam an. 1519. uti dicemus, primùm à nostro Barziza non multis ab hinc annis comperta, & in suo Cajetano Veronae palàm evulgata. Vix in lucem emissum puerum parens Porta, Genitrici Dei Mariae sistens dicavit. Pueritiam, & primam juventutem, nonnullis traditis subeuntis religionis, & innocentiae indicijs, egit: praecipuè in pudicitia sanctè tuenda impensum studiū collocavit; tùm quando adolescentiam jam inijsset, cùm tota dein vitae progressione. Et viridi aetate actus pietatis, & probitatis exercebat; quibus pro sua parte non modo seque, vitamque recte componere; verum etiam adversùs simulatas illius malas illecebras animum strenue firmare; usque eò ut vel *devotissimi*, ac *Sanctissimi* veluti cognomina in tota Vicentina Urbe hisce continentiae auspicijs carpserit (1); Patricio Consanguineo reprehendenti victûs tenuitatem, vestiumque vel detritarum vilitatem, Christianum se, reddidit, mollibus luxibus abduci, exundantia vitae commoda rejicere,

[1] *Sacra Rituum Congregatio in Vita D. Cajetani: & Decretum Consecrationis.*

cere, atque effusam magnificentiam animo aversari, contemnereque (1). Quae cum aliqua ira perculsus, quam cohibere nequivit, respondisset, incertae culpae posthac item poenituit [2]. His omnibus futura portendebantur. Ejusmodi objurgatio neque a Patre effecta fuit; neque dum Patavij Tienes ageret; sed ante ann. vigesimum ejus aetatis. Igitur usque ad vigesimum annum haec acta sunt. Quo tempore, & J. C. ann. 1500 partitio instituta est inter censum domus nostri Tienis, & Patruelium, natorum ex Antonio; quorum Tutor fuerat, uti diximus, Gasparus Patruus. Placuit id juveni Cajetano, quo liberiùs res, & pecunias in egenos levandos insumeret: verũ sui inhibere debuerunt, ne patrimonium omnino prodigeret inconsulte largiendo (3). Iisdem diebus Vicentiâ decessit Patavium ad litteras addiscendas. Ita ad id publica in Accademia animum adjecit, ut a nullis pietatis operibus erga Deum avocaretur: & nil moribus corrumperetur per consuetudinem ceterorum fluxi animi, remissiorisque vitae ea aetate, & occasione. Quare non raro turbae commercijs seponebatur, animum a voluptate, blandimentisve familiaritatis facile sollicitari haud ignorans. Patavij convictor erat Domi cujusdam Consanguinei (4): dumque studijs dabat operam, semel petijt rus ad Matrem, licet aegro animo. Ita enim scripsit Patavij 13. idus Februarias ad Henricium Vestinum Accademiae Jureconsultum Professorem: *Unum te non latere cognosco, nihil a me vehementiùs exoptari, quàm a Laribus meis non parum distare.* Solis vero tribus diebus mansit; uti alijs litteris datis etiam Patavij ann. 1502 eidem Henricio significavit (5). Paternos

[1] *Magen. par. 1. lib. 1. cap. v. vit. D. Cajet.* [2] *Meazza C. R. In recreation. spiritual cap. 4.* [3] *Fortius in vita D. Cajetani lib. 1. cap. 4.* [4] *Fortius ibid. cap. 3.* [5] *Magen. p. 1. lib. 1. cap. 6. n. 43.*

nos lares pluries declinabat Tienes. Vitationis caussam non equidem temerè definirem. Scriptores vulgo, uti moris est, virtuti tribuunt. Cum vero iis verbis scripserit; non magnum crimen, si ad alia, & fortassis ad ingeniorum ejus, & suorum discrepantiam referretur origo, judicarem. Ann. 1504. aetatis vigesimoquarto utriusque juris insignibus in Accademia donatus Vicentiam rediit; ubi statim adsciscitur Collegio Juris Consultorum Vicentino ex solis Patritijs conflato (1): à quo praecipuus patronus fuit delectus divis adscriptus. Mox eodem anno primis Sacris initiatur: sed magis prospici exoptans commodis Colonorum pro rebus sacris, parvam aedem Rampadij in agro Vicentino, quo in loco suae ditionis villa cum praedijs, sacram D. M. Magdalenae cum censu posuit; ubi erudiendos suscepit Sacrae Doctrinae institutionibus agrestes: inopumque etiam, & aegrotorum duris egestatibus consulebat: & vitam tunc Divinis curis solum obstrictam abs hominum societate, suorumque convictu saepe abductus degere instituit (2). Non diù commoratus est; cum Romam derepente abierit ann. aetatis 25. Necessarios quoque discessus latuit, subito illum è consilio multae, uti videbatur, morae decessisse admiratos: neque unquam caussa satis comperta. In amplissima Urbe tùm gravitate morum, maxime quia vitae probitas increbrescebat, cùm non protervo ingentium opum despicatu Juvenis Sacris addictus, & nil prorsus tot luxuriosae laetitiae occasionibus, ijs potissimum temporibus, allectus unicè in communi Civitatis corruptela enitebat. Pontificis Maximi Julij II. voluntatem ad se traxit, comitate ejus singulariter perciti.

(1) *Barbaranius Histor. Eccles. Vicent. lib. 2. cap. 88.* (2) *Noster Steph. Pepius in vita D. Cajetani lib. 1. cap. 4.*

ti [1]. Quare primùm quem Clericum Camerae dicunt, illum creavit: & sibi ab epistolis constituit juxta Argotum [2]: postea Protonotarij munere ornavit; quod laudatissimum tum in Aula Romana, ob spem fere firmam futuri praemij Cardinalatus. Bona etiam nonnulla ei impertitus est Sacri patrimonij; inter quae satis divitem praefecturam Malodij in agro Vicentino [3]. Quo anno dignitatem acceperit non plane liquet. Scripsit is Roma Epistolam Henricio, quam ita conclusit: *Ex Urbe M. D. VIII. VII. Martii, vester Cajetanus de Thienis Protonotarius Apostolicus*. Hinc, cum in alijs litteris ad eundem datis hujusmodi subscriptio non insit, affirmari poterit an. admodum 1508. munus fuisse illi collatum. Sancito ea tempestate Cameracensi foedere adversus Venetos, cui & Romanus Pontifex adjunctus, pro viribus reconciliationem, concordiae Venetorum, & Summi Pontif. navavit, quà factis crebris colloquijs Romae cum Oratoribus Venetis, & cum Pontificijs publicis Ministris, quà litteris ad Optimates Venetias scriptis [4]. Instructus quidem nil erat Tienes composita ad negotium astutia, vitio, virtutique finitima: & plures alij dexterè officium obierunt; tamen multorum opinione, nulli curae defuit, a nullo abstinuit labore, quas poterat exerens sollertiae vires. Profectò operae illius multae non fuerunt perspectae [5]. Verùm putarunt hi, satagentem eum contegi illas qualescumque studio pudoris, contendisse, ut clarum faci-

(1) *Decretum Consecrationis. In quo Sum Pontif. Innoc. XII. ait:* Julio Papae II. praedecessori nostro in primis etiam carus, *A Caracciolus in Vita Tienis Collectaneorum: & Scriptores omnes.* [2] *In Vita D. Cajetani lib. 1. cap. 3. pag 51.* (3) *Acta composita Vicentiae pro ejus Consecrat. pag. 335.* (4) *Emmanuel Calascibetta C. R. In Vita D Cajetani lib. 2. cap. 27. Eliocler. lib. 1. §. 25.* [5] *Magen. in Vita D. Cajet p. 1, lib. 1. cap. 8. n. 66.*

nus non sibi adscriberetur: quod & in alijs aliquo nomine dignis conficiebat: reapse Venetiae Sacrorum usu interdictae non diu post piatae solemnibus cerimonijs fuerunt. Cum Julius mortem occubuisset, confestim recessit ab Aula privata sorte avocatus: etsi Leo X. Successor ministerium Praesuli Cajetani in Aula cupere se indicasset: erravitque noster Caves, qui a Leone ad Protonotarij dignitatem fuisse Tienenm evectum, litteris tradidit [1]. Tum ann. J. C. 1513 cum trigesimum tertium aetatis ageret, ceteris initiorum Sacris quatuor continentibus diebus quinto, quarto, tertio, & pridie Kalend. Octobres ab Antistite Melopotensi instituitur: quinto Kalend. Oct. quatuor Ordinibus minoribus, dein Ordine reliquis, die Dominica insequenti Subdiaconatu, altera die festo D. Michaeli Diaconatu, & postrema D. Hieronymo Sacra Sacerdotio. Novo Divino spiritu adauctus est: atque ita acribus alijs facibus ad perfectiora virtutum incendi, ut vel minimarum animi labium, quae ei adesse videbantur, quotidiana expiatione sese ad summum mysterium antea instrueret; octonasque horas interdum insumeret in Divinarum rerum Commentationes ante SS. Sacrificium: quod scripsit Jon. Rhoius S. Jesù [2]. Nunquam satis pie, casteque componere se quemquam ad tantam administrationem, ajebat. Dum verò operaretur, aut ad Altare accessurus creberrimos erga Deum Religionis actus praestare. Anniversaria die initi Sacerdotij fere semper aliquantulum ingemiscere adspiciebatur, contristarique; Caussam aliquando amico sciscitanti, *me non plorare velles*, respondit, *atque hac die maestitia corripi, in qua praecipuum protervae facinus perpetrasse me reminiscor, ut Sacerdos ini-*

(1) *In Vita D Cajetani cap. 3. & 4.* [2] *in varijs Virtutum Exempl. lib. 111. cap. 1. num. 15. & Decretum Consecrationis.*

initiari audax, stultus, & impudens fuerim? Anno trigesimo septimo aetatis adlegi studio petiit cumprimis illustri Sodalitati Divini Amoris; quae excitata Romae dedita opera dicebatur adversus incipientes jam tum irruere Luteranas Sectas, Leone X. Sum. Pontifice; objectaque simul contra flagitiosos temporum mores [1]. Etenim noctuque, & diu multis precibus divinam vim lacessere studebant religiosi Socij contra insaevientes hostes, & vere acerbas calamitates. Malis etiam exprobatio, bonis grave exemplum ita expresse statuebatur. Tacitum quidem, proin vero praesentissimum prae humana indole remedium. Nonnulli Scriptores Tienem primum Sodalitatis auctorem, suasoremque pro certo habuerunt [2]. Non ea nostri Cajetani Vita est, ut Scriptor toleranter levitatis insimuletur quosque rumores aucupandi; & umbras, aut falsae, aut incertae gloriae consectandi. Quonammodo id Scriptor crediderit, immo & protulerit; si jam legimus extitisse illam Romae: uti planissime in Vita Tienis Collectaneorum sub initia tradit A. Caracciolus? Tum validum argumentum mihi obtinent verba Decreti Consecrationis: *In eo* [Oratorio; ita enim sodalitates haec nominari solent] *adscribi supppliciter petijt:* & verba Actorum ejusdem. *Oratorium illud a tempore Leonis X. quasi antidotum Luteranarum haeresum fuit institutum.* Profusioraque horum auctorum studia sine noxa modo praetergredior. Insignis admodum Sodalitas erat; unde aliae in Italiam profluxerunt, imperio omnes, potestatique Romanae veluti Parentis, & Prin-

 cipis

[1] *A. Caracciolus in Collectan. in Vita Tienis. Eliocler lib. 1. §. 25. Decretum Consecrationis.* [2] *Eliocler. eod. lib. 1. Joh. Bapt. Barziza C. R. in suo Cajetano Veronae par. 1. cap. 2. & 3. Anton. Raimondius C. R. in Vita D. Cajetani non edita cap. 6. Quibus utitur Magenius par. 1. lib. 1. cap. 10.*

cipis submissae: in quas leges, & rituum formae ex ipsamet acceptae distribuebantur [1]. Cogebatur in divorum Sylvestri, & Dorotheae in Regione Transtyberina non procul a Colle Janiculo; cujus templi praeses tum Julianus Datius. Et complures clari viri eo tempore illi nomen dederant; Gasp. Contarenius, Jacob. Sadoletus, Johan. Petrus Carafa, Cajetanus Tienes, Aloysius Lippomanus, Latinus Juvenalis, Tullius Crispoldus, Julian. Datius [2]; indeque in virtute spectati multi emanarunt: quidam sacris quoque dignitatibus honestati. In ea vero primi nostri natales fontes, & parentes primi constiterunt, uti dicitur: & Petr. Ant. Spinellius his verbis lib. de Deiparae Virginis laudibus cap. 40. declaravit: *Ex qua sodalitate complures tum vitae sanctimonia, tum doctrina illustres prodiere, inter quos merito numerantur illi, qui Religiosissimi Ordinis Clericorum Regularium, quos Theatinos vulgo vocant, auctores, & fundatores extitere An. Dom. 1524. de 14. Septembris: omnes Natione Itali, generis nobilitate, & vitae sanctitate praestantes* [3]. Plura in Sodalitio religionis plena obivit Tienes; quam cum ceteris virtutibus tum impensiùs excolere: & valde in perfecta Christiana disciplina promovit: aramque posteri sodales ei statuerunt cum Tabula, in qua sub D. Cajetano plures ex sodalitio, quos inter Paulus IV. depicti sunt. Epistolas multas dedit Cajetanus ad Lauram Mignaniam Brixiensem probitate vitae insignem, Deo dicatam Virginem in Conventu Augustinianarum S. Crucis Brixiae; de quibus inferius disseremus. Necessitudinem ad illam Romae manens per litte-

[1] *Bzovius sub ann.* 1524. [2] *A. Caracciolus in Vita Tienis in Collectaneis.* [3] *Item Bzovius ibid. A. Caracciolus in Vita Tienis Collectaneorum.*

litteras adjunxerat fama perpulsus. In una datâ Romae quint. Kal. Februarias an. 1518. ei nuntiat, venerabili Natali nocte Christi Jesu fuisse sibi in mysterij contemplationem altè dejecto a Dei Genitrice Maria, D. Hieronymo adstante, animosque ministrante, Infantem Jesum in brachia delatum. Vetustissima est facti fides; cum fama maximè evulgata jugiter Scriptorum cunctorum litteris ab eo tempore identidem trajecerit; monumentis quoque varij generis omni aevo probata. Locus erat in Sacello Basilicae Liberianae Praesepi Jesu Christi Sacro: ubi Savellius Perrettius Cardinalis Patronus Sacelli Marmoreum signum locavit D. Cajetani Puerum Jesum complexu brachiorum continentis, ut perennis nota foret, hoc titulo: *Hic S. Cajetanus, auspice D. Hieronymo, cujus ossa non procul jacent, in ipsa natalitia Christi nocte accepit a Deipara in ulnas suas Puerum Jesum.* Annus vertebat Cajetani trigesimus septimus, Christi 1517. servatur Epistola inter nostros Bononiae: & ex praestantioribus est, quas unquam scripserit, simplicitate scriptionis generosa, admirabili vero piarum sententiarum, ardorisque divinae caritatis contextu deformata. *Io audace* [ita narrare coepit] *mi trovai nel proprio materiale Santissimo Presepio: dato a me fu cuore dal Padre mio del Presepio amatore Girolamo Beatissimo, le ossa del quale sono nell' antro di detto Presepe recondite: di mano della timida Verginella novella Madre, Padrona mia pigliai quel tenero fanciullo, carne, e vestimento dell' Eterno Verbo. Duro era il cuor mio* [*ben lo crederete*], *perche certo non essendosi in quel punto liquefatto, segno è, che è di diamante.* Post quæ subtexit — *similmente me gli trovai alla Circoncisione: e pure i sensi miei stanno incirconcisi. Poi all' apparir degli Regi feci il simile; neppure altro che ferro, puzzo, e debole delicatezza in me si ritrovava* [tribus Magorum muneribus isthaec ex adverso ponit]. *Non resterò ancora-*

tra

tra qualche Santo di trovarmi pure al luogo, ed al tempo, ed in esso udire quel dolce Cantico del Vecchio Simeone. Nil dixit ante dicti favoris memorans de Circumcisione, & de Epiphania J. Christi; quod firmat illud de natali die. Cum alia Virgine Sicula Deo Sacra Romae ad Lateranum amicitia ei intercessit, consilio Sacerdotis Augustiniani Gabrielis nomine, quo tum utebatur ad Confessionem peccatorum [1]. Posthac varia itinera inivit. Primo Roma iter suscepit Vicentiam ann. 1518. cum accepisset valetudinem Matris ingravescentem; è vivis jam erepto Fratre natu majori Joh. Baptista; cujus interitu sola Elisabetha unica filia superstes fuit familiae Tieneae domûs Cajetani [2]. Et ad Lauretanum Templum tum primum divertit [3]. Vicentiae, praeterita Paterna domo, in publico domicilio Ægrotantium mansit [4]; matri tamen morienti praesto adstitit: postque fatum supremorum in eam officiorum optime meminit. Mortem occubuit illa hoc anno, Mense Augusti [5]. Mendosaeque sunt Historiae Fortij in Vita Tienis, & Auctoris Eliocleri; quorum ille objisse eam, dum Tienes Romae erat, hic anno 1488. scripserunt. Duobus quoque consanguineis in postremis vitae diebus interfuit. Domicillae Tieni propinquae Virgini Benedictinae in D. Petri novum edere Conventum severioris Disciplinae ejusdem Ordinis molienti accomodata fatis ad caussam consilia contulit; opusque absolutum mense Maij ann. 1523. in D. Sylvestri Vicentiae, cum Ro-

[1] *Argotus in Vita D. Cajetani lib. 1. cap. 4. pag. 58.*
[2] *Magenius in Vita D. Cajetani p. 1 lib. cap. 12. n. 87. & testimonia universa.* (3) *Fortius lib. 1. cap. 7. Schiara C. R. in Vita D. Cajetan. cap. 8 Raimond. in Vita D. Cajetan. cap. 7. n. 47.* (4) *Decretum Consecrationis: & alij Scriptores.* [5] *Argotus adverten. previas pag. 20. & Epistola Tienis ad Lauram Mignaniam, quae est apud nostros Ulyssipone.*

Romam is reversus decreta facultatum a Summ. Pontific. Adriano VI. & Clemente VII. extraxiset. Ea de re marmoreum Altare in Templo ei Virgines posuerunt (1). Multa alia in publicum bonum Religionis, & pietatis in Patria peregit, testimonio Dionysij Rondinellij allato in Libro monumentorum Virorum illustrium Tienensium [2]. Adlectus fuit Sodalitati D. Hieronymi è tenui plebe constitutae; jamque dudum conditae. Erat tum Sodalitatis Rector Joh. Dominicus Zaninellius. Adscitus vero Cajetanus ann. 1519. quint. Id. Januarias: & memoriae mandatum legitur in Ephemeride Sodalitij praeclarum quoddam Commentariolum de gestis Tienis in illo, atque paucis alijs ejus (3); frustum cujus latine redditum in lucem emisit A. Caracciolus in Vita Tienis [4]. Ephemeris autem, sive adversar a sint, asservatur in Tablino Sodalitatis. Verba, quibus in album nomen ejus retulere, sunt, Vicentina διαλέκτῳ, *Lo Reverendo Monsignor Cagietan de Tiene devoto Servo di Gesù Cristo fu tolto per fratello a dì 9. Zenaro 1519. Lui è stato lume, e splendore della Compagnia, e Benefattore: nè tanto potria dirsi di lui, che non sia di più.* Sodales citò persuasit, ut nosocomium erigendum capessferent [5]; & majores pecunias ipse impendit; ac, tantùm quod aedes fuere extructae, maxime omnium ad permulta locum substentare suo aere: immoderationisque à Zaninellio commonitus illud memorandum reddidit; *nunquam in egenos opes profundere desistam, usque donec cô pauperiei me noverim dejectum, ut ne quatuor quidem humi ulnae reliquae sint, ubi terrae mandar mortuus, ac assis*

(1) *Barbaran. Histor. Eccl. Vicentin. lib. 5. cap. 22.* (2) *Extat Codex in Tablino Comitis Alexandri Tienis Vicentiae.* (3) *Omnium testimonia insunt in Monumentis Sodalitij, quae asservantur in ejus Tablino.* (4) *In Collectaneis.* [5] *Decretum Consecrationis.*

ſs ı.ı.us, quo mibi parentetur [1]. Ibi divexatos morbis auxilio juvare, alios animis afflictos confirmare, & vilia quaeque exequi, non laboribus, non pudore absterritus aliquo tempore perſtitit. Ceteros ad eadem praeſtanda concionibus incendebat: & Vicentinos iiſdem argumentis compulit ad miſeros illos, tanque jactatae, uti ajebat, fortunae ſublevandos. Hinc nobiles aegrotorum aedes frequentia reddebantur: & ſubjecit illas unâ copulando magno valetudinario D. Jacobi Romano[2]. Leges etiā nonnullas in Sodalitate conſtituit: ac inter alia ſtudioſiori pietati convenientia uſum Divinorum Myſteriorum longe crebr'orem invexit (3). Quod benefactum inde in univerſam Vicentinam Urbem ultro proceſſit (4). Expoſtulabant cum eo Conſanguinei de inſtituto ſeſe immiſcendi in ejuſmodi Collegia; ut aliquandò aperte obſtiterint; ſaepe verò abnuerint. Verum fruſtra, & odioſè contra deſpicientem eos nobilis generis incertos ſplendores. Quippe Tienes in haſce Sodalitates animo valde trahebatur; quae ex iis temporibus incrementa accepere non levia: conſuetudoque in noſtrum ordinem profluxit illas magnopere provehendi. Valetudinario dicto nomen fecit Argotus Miſericordiae, & Incurabilium (quod ſecundum in Commentarolo indicatum); traditque adnexum à Cajetano Sodalitati (5); quam nonnulli dixerunt, & rettulit Decretum Conſecrationis, appellatam quoque per hortatus Tienis Divinum Amorē, exemplo Romanae. Significavit tunc Mignaniae ami-

(1) *In Ephemeride Sodalitij: & A. Caracciolus in Vita Tienis Collectaneorum.* [2] *Ephemerides Sodalitij ab A. Caracciolo praebita: & Decretum Conſecrationis: & Argotus In Vita D. Cajetan. advertenc. previas pag.* 29 (3) *In Ephemer. ſodalit. apud Caracciolum: & Decretum Conſecrat.* [4] *Barbar. Hiſtor. Eccl. Vicent. lib.* 2. *cap.* 242. (5) *In Vita D. Cajet. advertencias previas pag.* 20.

amisisse matrem; haecque post Epistolam cunctis Sociis subdit- *Supplico per viscera Jesu, che astringano la Madre Mignania a prendere me in suo figliuolo, perchè è partita l' anima della mia Genitrice; offerendomi, come Sacerdote, di aver memoria del santo lor Monistero per sempre* (1). Officiosum sese praesetulit semper ergâ Sodalitatem D.Hieronymi, ad quam Epistolam Venetiis dedit Theatinus 15. kalend. Julias an. 1541. amoris, & observantiae testimoniis perfusam(2). Hinc male prima origo aut hujus Vicentinae Sodalitatis, aut Nosocomii adscriberetur Cajetano; qui illi jam constitutae adlectus fuit, uti vidimus; & ita de hoc Scriptores ad unum, non secluso Magenio, verba faciunt. In Nosocomium praecipuam quidem operam ductu, & hortatu suo contulit; idcircòque à Decreto Consecrationis novum Vicentiae Nosòcomium ab eo erectum edicitur, & fundatum illud ab ipso monetur in nuper dicti Commentarioli parte ab A. Caracciolo prodita; non verò totam praebuit, & singularem. Eo tempore Vicentiae constantem vitae moderatorem sibi decrevit Ioh.Bapt.Cremam Dominicanum ex eodem Sodalitio (3). Quo Auctore se contulit Veronam ann. 1519. annos natus 39. (4) Erat Veronae Sodalitas DD. Syri Episcopi Papiensis, & Liberae. Accersiverant Sodales Vicentiâ Hieronymianos tum illustres, in commune bonum Sodalitatis, utque cum ipsis communicarent: eô magis quod conjunctionem exoptari, ac versari jam à Tiene, ceterisque Sodalibus D. Hieronymi resciverant. Cooptatus is cum Zaninellio, & Franc. Octavianio plebeis hominibus unâ comes Veronam

C ronam

(1) *Epistola memorata supra n.5.* (2) *Est in Vita D. Cajetani Magenii par. 1. lib. 1. cap. 9.* (3) *Ephemerides Sodalitii: & Magen. Vit. D. Cajet. par. 1. lib. 1. cap. 9. nu. 101.* (4) *Magenius ibidem.*

ronam perrexit. Collaetati maximoperè Sodales D. Syri de eorum adventu, contulerunt illicò conjunctionis capita cum Zaninellio primas agente: atque in foedus ambo Sodalitia cojere sext. Id. Julias hoc anno, cura quidem, & opera Zaninellii; nam in Codice electionum Ministrorum Sodalitatis Veronensis, qui est in illius Tabulario, Zaninellius cernitur ita notatus: *Ego univi, & incorporavi*, Cajetanus autem; *Ego Cajetanus de Tienis indignissimus Dei Sacerdos in minimum fratrem hujus sanctae Societatis acceptatus me scripsi die 10. Julii 1519.* Scripsit verò Sodalitas haec ad Vicentinam, ratam se tanquam divinitus rem demissam Tienem. Coeperat ea instituti jam duobus ante annis, hoc est an. 1517. & cogebatur in Æde DD. Syri, & Liberae, inde nomen illud ducens. Appellabatur enim Sodalitas Corporis Domini. Utilia multa huic Coetui etiam praestitit Tienes; Sodalesque nominarunt illum *Radicem, & Nutricem* Societatis; & litteris consignatum est in Codice latino non edito Vitarum Episcoporum Veronensium Caroli Libardi, hancce Sodalitatem mirificè à Tiene auctam fuisse, opereque perfectam: idemque traditur in ordine Div. Officii Veronensi an. 1704. 8. Id. Augusti. *D. Cajetanus an. 1519. ut etiam ipse unus ex Confratribus SS. Syri, & Liberae adscriberetur, humillimè quaesivit, inter quos enumeratus verbo, & miro Sanctitatis exemplo sanctam Societatem mirificè auxit, & exornavit* (1). Urbi Veronensi novam exiguam Domum aegrotanrium curavit excitandam. Publicis quoque orationibus communire populum in vera fide no-

stro-

(1) *Testimonia horum omnium adsunt apud D. Cajetanum Veronae nostri Barzizae, qui primus prodidit memoriam hujus profectionis Veronam: adfertque ibi Commentaria, & mutuas Epistolas utriusque Sodalitatis pro argumentis Historiae.*

ftrorum Decretorum enitebatur; cum ad id occafio impelleret adverfariarum fectarum propinquantium (quae altera caufla fuit adeundi Veronam); potiffimûm ut ad Sacra myfteria crebrius accederent, acriter exhortari. Quade re in feftis ejus Confecrationis pueri Veronae ad aram Divi procedentes conclamare illum propulfatorem Luteranorum, & Calvinianorum juffi funt Hymni cantu. -- *Vir planè divinus Teffinis Luteri, & Calvini temporibus refervatus, Ut frigentem accenderet Caritatem, Pietatem languefcentem refoveret, Fidem confirmaret nutantem, Italia tota ille peragrata, Tot fibi erexit trophaea, quot ftationes mutavit.* Anno infequenti repetijt Vicentiam; ubi exiguo tempore moratus apud aedes aegrotantium Venetias digreffus eft juffu Cremae in majores conatus patriam domum deferentem illaturi (1). Quamvis Vicentia, & Veronâ decederet, utraque Sodalitate dolente; & licet eum illic libentiffimum religiofae exercitationes detinerent; tamen obedientiae fervans prima imperata fecit. Angores quoque, precefque Elifabethae fratris filiae neglexit, abitione ejus è Patria maxime moerentis; cujus poft parentis mortem an. 1517. exftincti omnia tutor adminiftrabat: & aliorum cognatorum, arctis amiffis, domui, curaeque eam reliquit. Haec docuit fubtiliter Argotus; verùm hiftoria itinerum turbata, pariter cum ceteris fcriptoribus ob etiamtum non cognitum iter; quod hoc anno Veronam Cajetanus confecit; veluti fupra commonuimus (2). Vendiditque non nihil domefticae fupellectilis cum tota bibliotheca, parte alia comportata Venetias: & aliquid pretij in pauperes difpen-

 dit

[1] *Commentarij Sodalitatis Vicentinae fupradicti apud Ant. Caracciolum.* [2] *In Vita D. Cajetan. advertencias previas pag. 21. & lib. 1. cap. 8.*

dit (1). In inclyta Urbe indicia multa prodidit misericordiae in humiliores ex populo: & in Nosocomio Incurabilium diversatus est. Ornatus saepe paravit quibusdam delubris divorum aere proprio, ut multum inde corraserit. Item publicis, privatisque sermonibus ingruentes jam suspiciones opinionum disciplinae Luteranae refutabat (2). Et libellos conscripsit; in quibus non ita uberi doctrina, ut nonnullis gravibus sententijs ex majoribus nostris depromptis, popularique expositione locorum Sacri Libri, quae Luterani aut deformi distorsione turpare, aut male referendo depravare contendebant, fallacias eorum extricare aperte conabatur (3). Senatores, & Optimates non raro illum conveniebant consultari: nonnullique recentem veluti Apostolum nec opinatô è Coelis Venetias missum pravos hominum mores emendaturum celebrabant (4). Multa gessit ad commoda Valetudinarij: cum non modo infimae plebi non raro sese ministrum exhibuerit, postrema loci officia haud detrectando; verum etiam in integrum plurima restituerit, quae per summam incuriam peragerentur; & in ijs, quae male habebant, novam disciplinam efformarit. Ergo hoc nomine primum conditorem eum duces; non quod primus Auctor operis fuerit (5). Sed quae ex publicis tabulis, aut commentarijs privatorum proferuntur; Actaque pro Consecratione conflata Vicentiae, & Rota Romana, ut prima origo
vin-

(1) *Silosius Histor. C. R. p. 1. pag. 8. libriprimi. Barbaranius Histor. Eccl. Vicentin. lib. 1. cap. 8. Forti. Vita D. Cajet. lib. 1. cap. 8. Commentar. Sodalit. Vicentinae.* (2) *Acta pro ejus Consecratione conflata Vicentiae pag. 132. & insequentibus.* (3) *Eliocler. lib. 1. §. 43.* (4) *Fr. Marchesius Cong. D. Philippi in Vita D Cajetan pag. 7.* (5) *Instauratorem non primum conditorem effecerunt Eliocleri Scriptor lib. 1. §. 42. Silosius Histor. C. R. lib 1. par. 1. p. 8. Raimondius in vita cap. 8. §. 5. Commentarij Sodalitatis Vicentinae.*

vindicetut Tieni, cujus ſententiae magnus, & fortaſſe primus Auctor Auguſtinus Tortora Somaſcus, quem reliqui ſectati ſunt (1), ipſaque Romana Rota ; etiamſi evidentia ponantur, commoſtrant ſolum illum Patronum aedium, ſi vis, caput, principiumque; at ſenſu quoniam plurima vere inſtaurarit, & incoepta protraxit ; ea nomina ob id jure conſequutus. In majoribus Foribus praefixa eſt introrſum inſcriptio, *Beato Cajetano Thieneo Clericorum Regularium, & hujus Xenodochij Fundatori*. Et cognomen novi tumre ipſa adjectum dici coepto *Lo Spedal nuovo*. At vero ijſdem modis diluere haec poſſes, ſi contraire velles. Noſter Hiſtoricus Siloſius haud extollendo parcus de hoc Noſocomio ediſſerens, ait, *ut exuto veluti ſenio in alterum valetudinarium, novumque abijſſe videretur*. Et Commentarius Sodalitatis Vicentinae monet; *Venetias commigravit, ibique Xenodochium* [ſatius noſocomium] *quod novum appellant egregia ſane, qua erat prudentia, reformavit : vigetque ejus inſtitutio ad hanc uſque diem* [2]. Quid perſpectius? Quamquam auſteros hoſce, continentesque labores ſuſtineret, egregia tamen parſimonia victitabat: miſera etiam duritie degebat vitam; in ſtramentis cubabat; fatigabatque ſeſe jejunijs, & alijs cruciatubus, pernoctandoque. In Noſocomio commiſit unâ novam Sodalitatem, nomine facto Divini Amoris; quam legibus firmans praecipuum inſtitutum intulit, ut ſedulo operam darent aegrotis [3]. Supra Scalam Sodalitij imago D. Cajetani poſtea, & inſcriptio impoſita: *Sanctus Cajetanus Oratorij*

(1) *Tortoram adfert. Magenius p. 1. lib. 1. cap. 17. num. 128. eum ſequuntur Bzovius tom. 19. n. 30. Bollaudius apud Maggium in novem Sermonibus de D. Cajetano ſer. 1. cap. 2.*
[2] *Apud A. Caracciolum in Vita Tienis Collectaneorum.*
(3) *Magenius in Vita D. Cajetan. num. 133. 134. 135.*

torii Fundator. Institutionem Sodalitatis, quaeque Tienes praestitit, Libro edito Venetijs ann. 1568. noster Montorfanus Venetae Domus Praepositus, & Sodalitij Praeses exposuit. Hujus unius Sodalitatis vere Cajetanus primus Parens, & Auctor. Venetijs misit Mignaniae Reliquias D. Rocci, & insigne tum, Agnum Dei, scribens, ut Deum pro Religione Brixientium, adventantibus Germanis, oraret [1]. Ipso eodem anno Brixiam excurrit, ut Mignaniam agnoscens spectaret certo famae praeconia; prudens haud omnino in his praecunti celebritati confidere, cui multum non raro deterendum. Hujusmodi commercia tuebatur constanter Cajetanus, adjumenta firma virtutis optime arbitratus. Complures Epistolas scripsit huic Mignaniae pijs sententijs refertas: pariter respondebat illa. Quare mutuo rerum Coelestium commemorationes secum ipsi communicabant; ut non mediocres processus ambo exceperint [2]. Octo harum Epistolarum superfuerunt; publice dein emissae in Libro Memoriarum Historicarum ex initio Monasterij Sanctae Crucis Brixiensis, absque nomine Auctoris, impresso Brixiae an. 1704. (3). Virgines vero Coenobii ipsas autographas officioso dono nostris dederunt, una sibi relicta: vulgoque adhibentur in nostris domibus pro sacris reliquijs: idemque efficitur de alijs ab eo ad varios datis. Noverat Mignania Cajetani animum ad se adeundi; & per Epistolam adlexit. Ad Tienis amicitiam applicuerat se Bartholomaeus Stella Nobilis Brixiensis, familiaris quoque Mignaniae, quam invisit eodem anno Româ profectus. Et non diu post discessionem Tienis advenit Brixiam. Regebat eum Tienes; & ad Sacerdotium

[1] *Argotus in Vita D. Cajet. lib. 1. cap. 9.* [2] *In memorijs Historicis S. Crucis Brixiae pag. 90 & 91.* [3] *Memorat has Epistolas pariter Tonellius Secul. Augustinian. an. 1525. in Vita Laurae Mignaniae.*

tium impulit, ac Valetudinarium Incurabilium Brixiae ſtatuere; quod hoc eodem anno confectum, primo lapide ab Antiſtite Paulo Zanio injecto, perſuaſit (1). Brixia recepit ſe Venetias, paulum illic moratus, ann. 1521. aetatis ſuae 41. difficillimis temporibus; quando agmina Gallorum, & Germanorum arma invicem contra moventium non longè diſſitas plagas jam incurſarant, & Turcae Inſulas Imperii Veneti potiſſimum captâ Rhodum, inſidebant. Sanè Tienes nil intentatum reliquit quâ publicis ſupplicationibus à Magiſtratu impetratis, quâ precibus Deo, & Coelitibus latis per propria officia, & aliorum ab eo excitorum, ſui etiam ipſiuſmet corporis multa afflictatione, ut Divinum Numen expiaret. Creditur Divina Indignatio bonam partem per ejus ſupplicia vota initio repreſſa; ita que tandem planè devicta (2). Praetereà tum ipſe perhibetur à nonnullis Auctor, ſuaſorque Cerimoniae (3) Venetiis, in univerſam Italiam mox transfuſae, ut palam in Altari apparatu Sacro Venerabilis Hoſtia conſecrata ſupernè elata exponeretur, aptè in canaliculo concluſa, auri, vel aurati ſemicirculi, in cylindrulum intromiſſi excavatum, atque emicantibus manufactis radiis circumquaq; perforatum: confluereque illicò populos ad novũ cultum addidit Magenius (4), & prima exordia praebita in Tẽplo Sodalitii Divini Amoris; poſteà morem inter noſtros Chriſtiancs inoleviſſe ubique Gentium ſervatum. At verò obſiſtunt quae Iveninius diſputatione 4. de Sacramentis his verbis commemoravit „ Publica expoſitio Corporis

„ Chri-

(1) *Torell. ibid.* (2) *S. R. Congregat. in Art. & Poſit. Conſecrat. B. Cajetan. de Relig. cap. 19. Commentarius Sodalitatis Vicentinae, in fin. apud A Cataccíolum in Vita Tien. Collectan.* (3) *Siloſ. Hiſt. Cl. R p. 1. lib 1. Barbaran. Hiſtor. Eccl. Vicentin. lib. 2. c. 99 Boudonius Theolog. Pariſienſ. in Amore Jeſu, pag. 123.* (4) *In Vita D. Cajetani p. 1 lib. 1. cap. 19.*

„ Christi tunc tantùm in usu esse coepit, cùm primùm adhibita sunt Tabernacula portatilia, quae vulgò Ostensoria dicuntur; quaeq; Monstrantiae à Concilio Coloniensi „ ann.1452, peracto vocantur: ea verò Tabernacula ante „ trecentos ab hinc annos in usu non fuisse, omnes conveniunt, sed quo praecisè tempore adhiberi coeperint, vix „ potest determinari. Si quid pronunciare liceat ob haec dicta, equidem existimarem Sacrosanctam Cerimoniam insigniter à Tiene ornatu adauctam, & provectam fuisse. Hoc ipso anno pactis ejus opera nuptiis junxerunt se X. kalend. Majas Elisabetha, & Johan. Porta Vicentiae: ipseque Venetiis mandatum scripto traditum misit Johan. Baptistae Portae Vicentiam, ut pro se quaedam debita persolveret (1). Erat his diebus Venetiis Crema. Cajetano jussit (2) Romā decedere: paruit is liquens Venetias an.1523. aetatis 43. postquam rem Christianam Vicentiae, Venetiis, Veronaeque, quod primùm omnium Romae jam effecerat, optimè procurasset (3): potissimum per Nosocomia, & Sodalitia aut primo constituta, aut firmata, restaurata, vel exaucta; perque Sacrorum Mysteriorum crebriorem ingestum usum: quibus tribus Christianae Virtutis argumentis, maximè tertio, reliquos omnes sui, & proximi aevi pietate insignes viros (absit verbo invidia) omni procul controversia longè Tienes superavit. In Urbe Roma alienatus egit ab Aula, etsi aliqua pars ejus, Sodalitio Divini Amoris totus devotus (4). Loca, & vetera Monumenta Sacra religiosiùs lustravit: & impavidè auxilio adfuit vel tentatis, vel ferè corruptis contagiosa lue, cujus ferox vis ijs temporibus per Civita-

(1) *Argotus in Vita D. Cajet. lib. 1. Cap. 9.* (2) *Calascibetta in Vita D. Cajet. cap. 3.* (3) *Rosa Romana; Decretum Consecrationis; & Scriptores omnes.* (4) *Ant. Caracciolus in Vita Pauli IV. lib. 1. cap. 10.*

vitatem inciderat. Inter haec Venetias ire iterum voluit, ubi abdicavit se opibus patrijs pene universis, juris actione publica, tenui censu sibi definito, traditaque hereditate in jus legitimè succedentibus, bonis vero liberis, proprièvedomi partis Elisabethae donatis [1]. Paulisper satis Venetijs moram egit, reversus Romam eodem anno 1523. facinus adorturus, quamobrem sese fortunarum impedimentis exsolverat. Itinere deflexit secundò ad aedem D. M. Lauretanae [2]: quô bis non amplius memoriae proditum est, illum adijsse, contra quàm alij opinari voluere, praecipuè ad omnia proclivis [3] Magenius, nulla aequa caussa, cum ne praetenuis quidem suffragetur conjectura, impellente ad aliud putandum. Ibi Sanctissimae Adnunciatae novum mente agitatum opus enixe commendavit [4]. Sed illud commemoratu dignum accidit, ut, licet in Altari consisteret operaturus, abscendendum ei necessariô esset tanti loci reverentia exhorrescenti. Id in Monumentis Tabularij scripto consignatum renuntiarunt nostro Amadeo Perinio paucos ab hinc annos duo aedis Sacerdotes alter Cāpanarius vocatus, Grammatophylacij custos, & Petrus Simon Aegidius Canonicus. Perinius publicum fecit, praesertim in Concionibus: & fide certus vir: misitque per Epistolam Magenio memoriae exemplum, quod vulgo in Concionibus prodere solebat, sed [incommodissimum] ornato Oratorio stylo contaminatum: Magenius vero in vitam D. Cajetani conclusit [5]. Hinc verè intelligimus, fuisse

D Ve-

(1) *Forma Actionis publicae est: Actum Venetijs in confinio „ S. Georgij in Domo R. Domini Cajetani de Thien. die prim. „ Septemb. an. 1523. apud Eliocl. lib. 1. §. 51.* (2) *Eliocl. lib. 1. §. 53.* (3) *In Vita D. Cajet. p. 1. libr. 1. cap. 12. num. 88.* [4] *Eliocler. ibid.* [5] *p. 1. lib. 1. cap. 20. num. 161.*

Venetijs Tienem ann. 1520, 1521, 1522, & 1523. In quo putando hallucinati sunt Scriptores praeter Barbaranium. Nam duae Epistolae ejus cernuntur datae ad Mignaniam Venetijs ann. 1520. [1]. Tum alia ad suam Elisabetham spem prolis praebentem Venetijs quoque scripta ann. 1522. [2], & historia nulla adest ejus absentiae totius anni 1521; quo supra posuimus Brixiâ illum profectum Venetias. Tertio Epistolam misit datam Venetijs Kalend. Januarij an. 1523. Paulo Justiniano Institutori Ord. Eremitar. Camaldolensium Montis Coronae; quam conspicere est Ruae in agro Patavino apud illos Patres eleganti theca repositam. Etiam; Venetijs non discessit Romam ante an. 1523. Nam Hieronymus Solonna Sacerdos Hispanus fama ea tempestate notus responsum efflagitans a Paulo Justiniano Venetijs morante suae Epistolae datae Patavij nonis Januarijs anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio commonefecit, mandari illud Tieni [3]; quem valde laudibus effert, & filium appellat. Proinde male scripsit A. Caracciolus in eadem Vita Tienis, perpaucis memorijs edoctus, illum firmatis Romae, Vicentiae, Veronae, Venetijsque Sodalitatibus Sacris, ac Xenodochijs; nosocomia melius nominasset; Romam redijsse ann. J. C. 1521. Hic enim adventus est anni 1523. quod recte docuit recentior Auctor Barbaranius; cum post expositas, quas Venetijs curarat Tienes, publicas suppli-

---

[1] *Extant in memor. Histor. S. Crucis Brixiae pag.* 100. [2] *Apud Castaldum in Vita Tienis: Elioclet. lib.* 3. §. 15. *Calascibet. in Vita Tien. & Argot. in Vita Tien. advertent. prev. pag.* 22. *& lib.* 1. *cap* 10. [3] *Litterae Tienis, & Solonnae ad Justinianum sunt in Vita P. Justininnij scripta ab Augustin. Fiorio O. Camaldolens. libr.* 2. *cap.* 28.

plicationis supra dictâs, haec subjecerit (1): *Essendo stato il B. Gaetano in Venezia due anni per comandamento del suo P. Spirituale, cioè del predetto Domenicano, si trasferì a Roma l'anno di nostra salute* 1523. Preces pro bona Morte Romae tunc ab ipso primò institutas in Templo Sodalitii Divini Amoris, Argotus scripsit (2); licet, Caracc'oli, credo, insistens Historiae, falsò dixerit (3) Romam anno 1521. illum venisse Mense Maii: tum reversum Venetias; ubi eum fuisse ann. 1522. indeque Romam petiisse; & Româ iterum Venetias ad bona abdicanda concessisse (4). Sed praeposterus ordo, argumentisque non probè confirmatus. Nos perperam inversam Historiam lucidiori, sincerioríque narrationi, auctoritatibus Magenii, & Barbaranii innisi jure optumo posthabuimus.

** Figura Cajet. Tienis pag. 3. est ex numismate plumbeo Musei Franc. Fagelij Reipublicae Foederati Belgii à Secretis, qui officiosè eam praebuit delineatam.*



(1) *Histor. Ecclesiast. Vicent. lib. 2. cap. 99.* (2) *In Vita D. Cajetan. lib. 1. cap. 9. pag.* 83. (3) *Ibidem.* (4) *Ibidem.*

LIBER SECUNDUS

EXpoſitionem originis novi Ordinis Clericorum Regularium à Tiene conditi initio Libri auſpicaturi quatuor praeſtabimus; primum verum Cajetani propoſitum in novo Ordine conſtituendo pandam: deinde hujus exordia enarrabo: tum primum auctorem fuiſſe Tienem argumentis oſtendam: poſtremo loco praeſtantiora capita Inſtitutorum, vivendique rationis Ordinis explicatione complectar. Iis temporibus hominum mores, potiſſimùm Romae, maximè quidem ſceleſti, & procaciſſimi; quod ab omnibus Scriptoribus accepimus (1). Chriſtiani populi humana, divinaque perperam miſcere; quidquid religioſum, & Sanctum eſſet, contemnere, modo non averſari, aut etiam polluere; et Chriſtianae Diſciplinae quaedam inſtituta de ridiculo palàm habere: pactiones captioſè facere, aut etiā perjurio temerare; dolos malos inſequi; ac ſolùm genio, delicateque vivendo indulgere: ita diffluere omnibus libidinum modis, ut univerſa probae vitae actio convelli, & San-

(1) *Tradit id fuſè A Caracciolus in Vita non edita Pauli IV. initio Capitis 1. Libri ſecundi.*

Sanctiorum Legum fundamenta imitùs everti aequus metus foret, impenderetque maturum discrimen. Sed, quod caput est, ad Sacrarum rerum Ministros communis corruptela dimanavit, malè jam affectos complexa: cum nil ii consulerent tantae dignitati non modò vitae licentiâ, verùm vestibus, ore, incessu, verbis. Etenim foeda impunitas erat agendique, dicendique quidquid luberet magis. Interesse ludis publicis cujus cujus generis non vereri, nullaque aleae immoderatione se cohibere, fas erat. Concupiscentias, voluptates effrenes, aliosque pravos animi motus turpiter prosequi, comitas, & elegantia. Ad amores, convivia, commessationes proclivem se se demonstrare, hominis facilitas. Et his resistere (quotus verò quisq; id sustineret?) acerbitas. Quibus accedebat divinarū Literarum immanis inscitia. Augustiores cerimonias, divûm cultus, graviores sacros ritus aut oscitanter, aut summâ imperitiâ Sacerdotes persolvere, & solam cutem molliter curare. Hinc Altaris cura, acerbissimo bonorum dolore, in postremis ponebatur: Sacrum patrimonium, aut in quos usus minus oporteret, insumebatur; aut prodigè obliguriebatur: mirificè pollebant ambitio, quaestus in divinis factus, dolus malus, & quivis mercatus. Hac de re profanorum luxuriei in flagitiis remedium omne tristissimum. Sectae adversariarum Religionum & quaquaversum propagabantur, & nostra loca jam, Romamq; succedebant. Hoc amplius, quod nonnulli ex nostris aut pravè reipsa de quibusdam capitibus Sacrae doctrinae sentiebant; aut etiam (horrendum) ambitiosè, Romae pariter, peracris ingenii sola ostentatione id jactitare. Itaque contumeliae in Sacerdotes, in Dei, Divorumque delubra convicia, in mysteria, cerimoniasque dicteria vulgò conjecta. Super his maximopere animo angebatur Cajetanus. Illud quidē vehementer Sacerdotem exagitabat, Viros Sacris dicatos, & Romae agentes tam indecorè ejusmodi criminibus urgeri. Igitur subi-

subire coeperunt validiùs ejus mentem, quae jam revolverat cogitata coercendi vim ferè indomitam perditorum morum, torrentis ritu prolabentem : & universa benè animo volutans novum Ordinem Sacerdotum molitur à communi convictu segregatorum ; primò, ut mortalium, maximè Sacerdotum, perversi mores nova ea ratione fortasse emendarentur ; deinde consultò, ut adversarum Sectarum, praecipuae Luteranae, capita ita exanimaret. Siquidem earum origines, & processus magnam partem à pervicacia in nequissima vivendi via Sacrorum Ministrorum repetebantur : & Religiosi Viri Sodalitii Divini Amoris, qui pietatis exemplis, ac Divinarum obsecrationum officiis, quantum quidem poterant, in ea duo connitebantur, partim non semper Romae degebant, partim alienis curis amoti (1). Consilium hoc Tienis unum, aut duo argumenta evincent, quibus, ut ille dixit, ipsum attingam limen ostii pede, ad rem non attinentia haud consectatus. Idemmet Cajetanus, antequam novi Ordinis principia aggrederetur, animum suum illustri cuidam Viro Aulae Romanae hisce dictis aperuit : *Si Deus gratiam mihi praebuerit, ut oculis dicatorum Templo obiiciam novam Familiam Coenobitarum ex ipsorummet Ordine, istos innocentia, & sanctitate effecturos, ut illi flagitiosam vivendi rationem aliquandò deserant, virtutemque sedulò deament, multùm confido.* Testis est Fortius Congregationis D. Philippi in Vita D.Cajetani (2). Atque in Decreto Consecrationis relatum est ; id habuisse eum in Votis, *ut lapsos Fidelium mores, quà verbo, quà exemplo corrigeret;* ita verò, ut disciplinae Clericalis Ordinis (uti ibi dicitur) instaurandae novo Ordine, consilium ejus fuisse pluribus de-

(1) *A. Caracciolus in Vita Tien. Collectaneorum*. (2. *Lib.* 2. *cap.* 11.

declaretur (1). Adrianus autem in sua Historia *solemnem nostram Professionem edocet esse, ut haeresum acerrimam oppugnationem, ac Fidei Catholicae defensionem susceptissemus* [2]. Et Charpyus Sanctae Crucis Scriptor Gallus omnium amplissimum hujus rei testimonium fecit in Vita D. Cajetani; quod verbis Rotae Romanae conclusit: *Catholicae Fidei zelo ad Haereticarum confusionem Clericorum Religionem instituit* (Cajetanus) (3). Neque planissima Sententia Romanae Congregationis Sacrorum Rituum minoris erit, *ut haereticos obtunderet* (Cajetanus) *sub certa Regula, & Sancto Instituto Ecclesiasticos redigere cogitavit, ut sic verbo, & exemplo Fidem Catholicam tueri, augere, & propagare possenut* (4). Numne haec Romanarum Curiarum Scriptis ita temerè consignata, nostrisque fuissent arbitrio data? Praecipuè verò machinamentum ad quatiendam Luteranam Familiam intendisse Tienem, fixum ratumque est iisdem Auctoribus. Et quidem princeps illa erat novarum Sectarum, contra quas Cajetani novum inventum paratum ostendimus. In actis quidem pro ejus Consecratione exponitur; atque in ipso eodem Decreto. Et Charpyus manifeste de hac Secta memoravit (5). Luterus, ejusque Schola plura opinata est contra Romanae verae Religionis Decreta; ac dein promulgans Leges Sectae in vulgus propagavit. Igitur visum quibusdam, Cajetanum expertum fuisse praestantioribus Luteranae Doctrinae Capitibus vicem rependere totidem ex adversum obstantibus novi Ordinis institutis. Non ego

---

[1] *Adde etiam si vis A Caracciolum in Vita Pauli IV. libr. 2. cap 1. & in Vita Tienis Collectaneorum; atque Acta pro Consecratione condita Neapoli an. 1654.* [2] *A an. 1555. lib. 3.* (3) *In vita D Cajetani cap. 1. pag. 3.* (4) *Acta, & positiones pro Consecratione B. Cajetani pag. 9.* (5) *Ibidem.*

ego is sum aut imaginans homo, aut inani devotione nimio plus in nostra agitatus, ut haecce prono gutture hauriam; cum rectè conspiciam nil inter nonnulla Ordinis Instituta, & impetita à Luteranis Religionis Decreta in futilibus, qui produntur, forcipibusque protractis objectubus convenire; ac temere pro hoc negotio plura in novo Ordine constituta fuisse, forteque fortuna accidisse, sciam. Illud pro certo habendum judico, ac defendo, Tienis re ipsa propositum fuisse, dum Sacrorum Ministrorum profligatos mores reparandos excogitaret, ut inimicas Sectas, potissimum Luteranas, eo belli genere protereret. Quo & rectè debellatur: novimus enim acribus exemplis fortiùs concuti Genus Humanum, aut aemulatione gloriae, quam inhiat, aut formidine malorum, queis conterretur; qui motionum nostrorum animorum duo maximi sunt elateres. His de Caussis & Viri Sacri ab improbis actibus, novo Ordine prostante, poterant sane deflectere; &, si hi resipuissent, tum maxima caussa porrò amota, cum etiam nova Familia ex instituto ad id educta, adversariae Sectae in Italia certo turbarier; ut incoeptis, & consiliis non ita omnia futura forent secundissima. Censuerunt quoque alij, Luterum ea verba, quae Amico Campanio dixit, *Magnum nobis Bellum paratur Romae*, retulisse ad novum Ordinem Tienis. Istuc pariter levi conjectura solum innititur: nulla enim certa monimenta obtinemus. Profecto, cum audijsset Luterus praefatam morum castigationem tam diligenter Romae curari, multaque Romanos praesules, curiaeque Patres moliri in suam factionem ad eam opprimendam, & opiniones refellendas, dici posset, haec ipsa ijs dictis ille spectasse: atqui ea non exiguam partem in nova exoriente Congregatione continebantur. Multi, & varij hostes illis ipsis temporibus contra res Christianas exitialia Bella conflabant. Quare vero maxime simile putatur rescisci tum Romae, quod ex

ex ipsis essent, qui improbarent, rejicerentque Dei O. M. providentiam Mundum profecto administrantem: etiamsi de Lutero id scripto proditum nusquā invenerim. Hos perspicuo argumento a reipsa eruto prosterni voluit Cajetanus. Quamobrem non solum constituere meditatus est, ut quaevis alimenta vitae stato, certoque censu in novo Ordine non inessent; verum etiam, ut ne aliqua quidem stipe, victuve rogato, qua vivendi ratione nonnulli alij Ordines vitam jam quaeritabant, ea compararentur, imperavit. Vetus opinio est, in id consilium Tienem cum sociis novi Ordinis institutionem intendisse; ut impiam sententiam adversus divinam rerum gubernationem fundendam, contundendamquae susciperent; idcircoque pericula, & pugnas multas Romae contra repugnantes novis cogitatis, uti significabimus, illos capessivisse. Nullus Scriptor gestorum Tienis, aut nuperus, aut antiquus, nostras, alienusve hunc ejus animum aperte non indicavit. Ordinis autem origo, & exordia ita habuerunt (1). Novam Sodalitatem adorturus Tienes, quae animo revolvebat, Bonifacio Collio Alexandrino primô prodidit in Sodalitio divini Amoris, cui valde addictum jugiter sese tuebatur: & undè adeò nostri Ordinis auspicia prima extitere. Hi duo dumtaxat consilij participes: ceteri ignari. Verûm cum rei rumor peragraret, neque perincertus; conveniunt Cajetanum alij duo ex Sodalitate, re probe perspecta; & adgregari efflagitant; Paulus Consilierius alter Romae natus, & abs Bononia primo oriundus, gentilitia familia Ghisleria, cui agnati Consilierij; alter Johannes Petrus Carafa Neapolitanus, genere Clarissimus, amplitudine, praeclareque gestis rebus in Aula

E Hif-

(1) *A. Caracciolus in Vita Tienis Collectaneorum: & vita Pauli IV. non edita lib. 11. cap. 1. & Bzovius ad ann. 1517.*

Hispanica notus; loco verò cum Theatis, & Brundusij Antistes esset, virtute, morum integritate, peritia Sacrarum Litterarum ornatissimus: qui postea Archiepiscop. Neapolitanus, Sacra Romana Purpura donatus, & postremo Pontifex Max. Paulus IV. Fama celeber; unicèque studio erga sartam tectam majestatem divinarum rerum, & Sacrorum Ministrorum decus, vitaeque incorruptam probitatem excellens. Quem latet, nonnullos Scriptores malè de Paulo loquutos fore, multa ei vitio dedisse, non modo omnia illius laudibus non descripsisse? At vero alios horum obtrectatores jus est existimare; alios nil aequos rei arbitros, & aestimatores: solus mehercle audax, & ineptiens illicò contra putabit. Tum de Pauli auctoritate, vitae sanctitate, sacra eruditione, atque potissimum vehementissimo animi studio erga divina quaeque non nisi iniquissime detraheretur. Tertio, etsi de aliquibus sub judice controversa adhuc lis fortasse maneret; ea erunt, de quibus, sicuti quisque vel plebea rerum prudentia inspiciens humana satis norit, dicitur, culpa neminem vacare, maximum esse, qui minimis urgetur. Sed praeter haec, contumelijs, & maledictis alij Carafam per summã injuriã in nostrã etiã Sodalitatẽ acerbo animo, ut mite loquar, affecti, incesserunt. Verùm nulli sapienti ea probatum iri equidem judico, cum inane semper impetere lingua. Contumelias dixi, nam crimina ne vocabulo quidem nuncupare veritas siverit, & in tantum virum reverentia. Non hic locus est, neque partes nostrae modo ullae, aut res adversas Carafae, quibus magni viri, & ampliora administrantes ceteris magis divexari solent, persequi, aut ab inimicis imposita crimina diluere. Publicis argumentis id praestitit Sanctissimus Pontifex Pius V.; qui illum Coelitum quoque numero fertur adscribere exoptasse. Ex nostris vero multi Paulum dedita opera defenderunt, sycophantias retun-

den-

dentes, inflictasque à nostris hostibus criminationes propulsantes: maxime Fr. Maria Maggius in Paulo IV. defenso edito Neapoli an. 1672: atque in duabus dissertationibus, sive ἀπολογίαις; quarum altera incipit, Ad recentem Scriptorem vitae Pauli IV. hocque modo dici potest inscripta: altera responsio est ad Epistolam scriptam ad Joh. Lucam Durazzium. Ambae denominatione loci impressionis, & anni, nomineque Auctoris orbantur. In quibusdam editionibus nomen praeferunt Francisci Velli: & scriptae sunt adversus ea, quae contra Paulum IV. protulit Sfortia Pallavicinus in Historia Concilij Tridentini. Reor equidem impressas Romae. Item Joh. Baptista Castaldus, qui praeter judicium de falso Monacatu Benedictino Pauli IV. in lucem emissum Neapoli an. 1640. contra opinionem Constantini Cajetani Abbatis Benedictini D. Barontij, propositam in animadvertionibus, quibus Vita Gelasij II. P. M. a Pandolfo Pisano conscripta clariùs exponitur; ubi simul Carafa Patriâ Pisanus ab Cajetano dicitur fallaci fortasse sententia ducto, Caraforum originem fuisse Pisanam, cum Neapolitana tota sit, & judicio multorum Antiquitatis studio sollerter eruditorum à Caracciolis primo prognata; de qua Carafae Benedictini Historia noster Maggius simulato nomine Julij Andriozzij responsionem quoque scripsit ad id, quod protulit Petrus Antonius Tornamira Casinensis de Monacatu Pauli IV. editam Venetijs an. 1678. sententiam verò primus orbi prodidit Consalvus Illescasius in Historia Summorum Pontificum Hispanicè scripta, non affirmando quidem, sed dici illud indicando; item, inquam, Castaldus, praeter hoc judicium de Benedectino Monacatu, vitam Pauli conscripsit caussam defendens. Inserta vita est in alias 50. Virorum Illustrium Cleri Regularium; sed et etiam sejunctim excusa Romae an. 1615. Nil ἀνεμώλια βάζει Castaldus; verùm recondita adigit mo-

numenta; & argumentis, non gerris, aut futilibus orationibus, vel turpibus falsitatibus intortis impetum facit. Ea sunt: scripta Michaelis Bonellij Cardinalis Alexandrini composita ab eo in testificatione de Paulo IV. instituta Pio IV. Summ. Pontifice: existebantque inter memorias scriptas Cardinal. Spinellij: scripta Card. Alphonsi Carafae in defensionibus Pauli actis, eodem Pontifice; quae erant apud eundem Spinellium, & Praesulem Santorium: scripta Cardinalis Antonij Carafae in defensione Pauli IV. quae in Bibliotheca Altempsij asservabantur: scripta Cardinalis Joh. Francisci Commendonij apud Trugillum: scripta Auctoris incerti vitae Pauli IV. quae apud Episcop. Filonardum: scripta Petri Matthaei Pignatelli, quae apud Ant. Caracciolum; Octavij Ricci, apud eundem Caracciolum; Cardinalis Virgilij Rosarij, apud A. Caracciolum. Praestitit idem strenuè A. Caracciolus in vita non dum in vulgus edita Pauli IV. qua in hac Historia uti solemus; & in *Apologia* quae evulgata; non nugivendus, aut blatero Caracciolus; cuncta invictis, & non communis, sed privatae Historiae monumentis validissimè firmans. Ex alienis pro Paulo IV. scripserunt Petrus Ligorius in Relatione gestorum Pauli IV. latinè prodita ab A. Caracciolo, qui autographam habebat; Paperius Massonius in Vita Pauli IV. alijque: ut Panvinium praeteream in vita ejusdem Pauli secundò vulgata, & Berninium in memorijs historicis. Consentiunt equidem plerique multam partem finistrorum eventuum, & magis insignium nepotibus culpae vertendam: edocetque id Historia secreta Pauli IV. & Caraforum eorum Temporum, quam nos perlegimus. At quorumdam Scriptorum memorias divulgari, temporum naturae subinde inhibent. Carafam impetu calescentem hominem fuisse, quidam non inficiabuntur; sed non is, qui tanta virulenta dicacitate carperetur. Et cui ignotum, quàm in parvo hominis vortice,

tice, haud secus ac in universo, polleat natura: quae veluti in isto revolutionum infinitam vicissitudinem, Dei imperio, & nutu, trudit, ita & in illo alternas identidem agitat affectiones. Nimirum defensores fervorem huncce in levibus tantum, aut aequissimis prorupisse, archilochia omnia edicta adversariorum ludificantes, demonstrarunt. Vitam vero Historicam Carafae, & aliorum duorum Ordinis Parentum Collij, & Consiliarij idemmet Caracciolus in Collectaneis, & Castaldus in vitis 50. Illustrium Virorum Cler. Regular. quas nuper commemoravimus, scripto consignarunt: de nostris scriptoribus dico; atque nobilioribus. In mentione illata Pauli IV. à Berninio in Historia Haeresum, & à Forestio in Mappamundo non eo nuncupato Theatino, aut uno ex conditoribus Ordinis; qui Forestius idem effecit in Hieremia Isachinio Salodiensi, praeclaro Theatino tempore Pauli IV, illiusque cubiculario, & à consilijs in adversibus casibus intimo, oscitantiam Scriptoris expendendam duco, praeterea quicquam nihil. Ann. agebatur 1524. Cajetani vero xxxxiv. cum una quatuor, Tiene Duce, a Clem. VII. novi Ordinis concessionem postularunt. Recusavit initio praebere Pontifex; & consessui Cardinalium, Romanorumque Praesulum caussae judicium demandat [1]. Sed non modo Romae qui suo resisterent proposito habuerunt, verum & qui ultro cuncta insectarentur; potissimum Jacobus Bonfadius, & Nicolaus Franchius impij, & flagitiosi homines oblatrare: quorum hic Romae Pio V. P. M. resti, ille Genuae capite mulctatus est gratiâ Judicum, cum igni esset damnatus: Alij alijs tristibus modis exstincti: nonnulli a Romana Religione misere

se-

[1] *Magenius in Vita D. Cajetan. p. 1. lib. 2. cap. 4. num. 211.*

functi. Bonfadius *hypocritas* nos, seditiosos appellavit in Epistola ad Olivum (1). O praeclaram, & optabilem, objurgante Bonfadio, vituperationem. Cum autem refragarentur Romani Patres Petitoribus; cumque multi in Urbe, & quidam ex aula, ac Curia novitatem Ordinis genuino etiam morderent; tamen continenti animo reponebant iv viri, & subtiliter argumentis occurrebant: urgebant adhuc, & nil remittebant illi; atque ad duo majora rei cardo adducebatur; primò, sponte quoque alimenta impertienda fore, idcircoque divinam providentiam a toto quodam hominum coetu indiscriminatim conflato per dies singulos follicitandam; quando aut certo censu, aut stipe emendicata etiam tum coenobitae ceteri omnes vitam transegerant: secundò novitate legum, & disciplinae gravabantur. Nam Monacatus (ajebant) cum Clericatu ita simul, quod nunquam antea pertentatum, copularetur. Etenim Tieni, & Sodalibus propositum initio solum fuit, Sacerdotes in communi domicilio coactos tribus quidem consuetis solemnibus votis religatos unà jungere; quò contaminatas Sacrorum Ministrorum mores omnibus probè actae vitae exempla commonstraturi restaurarent; praeterea nil cogitarunt iji de aliorum ordinum vivendi, agendique institutis. Quamvis identidem immutationes successissent [2]. At verò refellunt tandem omnia, perfringuntque adversantium objecta quatuor Sodales; & Summi Pontificis voluntatem, facilitatemque sibi conciliant. Portentis nimè

[1.] *Ant. Caracciolus in notis ad Constitution. C. R. notis in praefationem: & in Vita Pauli IV. ubi tamen Olivum nominat Camillum Olivum.* [2] *Manifestum est per primaevam nostram vivendi, agendique rationem: ac per ipsas Legum Constitutiones: & commentarios de illis A. Caraccioli.*

nimè destitutum novum Ordinem, instar aliorum, autumarunt nonnulli (1). Quae traduntur haec sunt: Veronicam Virginem Conventûs D. Martae Mediolani die festo D. Antonij Ægyptij ab humanis penitùs pulsu divino abstractam anteIucanum visum recepisse, in quo, Antonio, & Paulo Primo Eremita Antesignanis, Ordines omnes Coenobitarum spectabantur pone insequi; ac post universam pompam Sacerdotes quidam procedere, tegmen capitis, vestesque nigras nobis plane similes. Testimonium, per postremam partem portendi Ordinem Tienis, sumitur ex Divino Officio Ambrosiano, sexto idus sextiles de D. Cajetano Tieneo, Matutinis Precibus in Lectione, *Reversusque Romam* [Cajetanus] *Clericorum Regularium Ordinem condidit, quod genus instituti multo ante praeviderat B. Veronica ex Virginibus Coenobij S. Martae Mediolani, cum excessu mentis in Coelum rapta cunctorum Ordinum coetus adspexisset*. Decessit Virgo 34. annos ante Ordinem conditum. Tum ferunt, praemonstratum eundem cuidam Margaritae Virgini Ravennati per Cruces aethere micantes, membris, & vestibus humanis confixas [2]: quod mea sententia maxime omnium nihili faciendum. Verum adfertur auctoritas Bzovij ita de primis his quatuor Patribus disserentis: *modum dissolutis imponere decreverunt, sanctaeque reformationi Ecclesiasticorum institerunt ad hoc praeclarum munus a Margarita Ravennae Virginum Sanctissima, & portento crucium prodigiose in membris, & vestimentis hominum apparentium praemonstrati* (3). Ipsum idem rettulit A. Caracciolus in vita non edita Pauli IV; versusque subijcit Pici Miran-

(1) *S. Rota Romana in Compendio Vitae D. Cajetani*. [2] *Magenius ibid. cap. 5. sed nonnulla etiam habet A. Caracciolus in Vita Pauli IV. lib. 11. cap. 1.* [3] *Ad an. 1524.*

randulani prodigij loco Cruces habentis; quae homines ad morum reparationem traherent. Amplius monet, in actis Ravennae pro prima Consecratione Margaritae a Cardinali Simonetta concinnatis praedictionem enarrari, constareque ab ea proditam, ejusmodi emendationis. Verùm non de nostro Ordine dicitur (1). Abbatem quoque Joachimum coecis quidem, incognitisque faticanum effatis praenuntiasse credunt, eventurum, ut hic Ordo futurus esset inter Christianos, in Commentarijs de Apocalypsi; teste ejus interprete, & defensore Gregorio Lauro; qui dicta auctoris, quae sibi videbantur istûc spectare, promens: *Hoc vaticinium*, subnectit, *si rectè considerετur tunc futurum, nunc praesentem Illustrissimum Sacrum Clericorum Regularium Theatinorum Ordinem diametraliter, directèque prospexit, supra trecentos ante annos* (2). Patroni alij, non me latet, praeter Abbatem Casinensem Laurum tueri Joachimi vatis caussam, & divinationes voluerunt; Salanhacius nobilis Scriptor horum Temporum apud Sovegesium in vita Gallica Divi Dominici; item Papebrochius in actis Sanctorum in vita hujus Joachimi die 29. Maij, & Marchesius in vita ejusdem Dominici Italica; ac Berninius tom. tertio Histor. Haeres. pag. 292. Sovegesius vero saeve irruit in Baronium trucem Joachimi insectatorem: verum hi aut vitae solum sanctitatem fortasse probarunt; aut pro caussa agebant sua praesensiones commendando; Dominicanum enim Ordinem certo praedivinatum cupijssent quidā illorum; aut veritatis ejusmodi praedictionum certissimi testes necessariò nobis esse non debent. Profecto Baronius *tam suis vanis responsis*, de eo ait, *quàm inanibus prophetijs in-*

(1) *A. Caracciolus in Vita Paul. IV. Lib. 2. cap. 1.* (2) *Cap. 52. lib. 3. in Joachimi Abb. Apologetica, sive mirabilium veritate defensa; impressa Neapoli ann. 1560.*

inventus est non Dei Propheta, seu PseudoPropheta: & magis D. Thomas: *Abbas Joachim non prophetico spiritu, sed conjectura mentis humanae, quae aliquando ad verum pervenit*, (egregiè id ad propositum accomodatum) *aliquando fallitur, de futuris aliqua vera praedixit; & aliquandó deceptus fuit*. Horum perquisitio ad nos non pertinet. Adesse & praedictio D. Brigidae [1] ab Argoto, & ab Auctore Eliocleri affirmatur. Ejusmodi ostentorum veritates, putatasque significationes nulla conditione in me recipiã tueri: judiciũ quodvis alijs libens do, relinquoque. Profecto ornamentis per haecce monstra rumore vulgi initio celebrata quaesitis minime indigemus; neque quis nostrûm rectè vellet Ordini famam incerta mercede pacisci. Ergo hoc anno Decretum concessionis a Pontif. M. exorant, opere etiam, & auxilio Joh. Matthaei Giberti Illustris Praesulis; cujus plurima apud Clementem auctoritas, ad id annisi obflagrantẽ cupiditatem adjungi quatuor, aulaeque turbis vale dicere; sed dein repulsam passi, quoniam virum a studijs, & curis maximis Clementi, ac Senatui impertitis subducere renuebant [2]. Opes, & sacras dignitates confestim liquit omnes Tienes; & quidquid tum Sacerdotiorum, cùm aliorum bonorum sibi superesse post primam abdicationem voluerat, aut inopibus, aut piorum operum locis tribuit; seu reddidit consanguineis; tenui parte tantum in commune Sodalitij collata [3]. Idem effecerunt ceteri, cum Carafa Pontificatum Theatis, & Brundusij dimisisset. Denique 18. Ka-

F lend.

[1] *Lib. 2. Revelation. cap. 7.* [2] *Ant. Caracciolus in Vita in Collectaneis.* (3) *Articuli, & positiones in caussa Consecrat. pag. 17. & Epistola scripta consanguineis 11. Kal. Septemb. hoc ann. 1524. de cessione bonorum apud Vitalem, In itinere ad Coelum pag. 284.*

lend. Octob. eod. anno in D. Petri coram Joh. Baptista Bonzianio Antistite Caseitano, qui Summi Pontif. vice intererat, rite tria vota nuncuparunt; praestitisque solemniter omnibus decesserunt: indeque factum, ut Insigne Ordinis Sancta Crux suscepta fuerit; cujus ea die Festum peragitur; utque nostri semper venerandum Lignum praestantiori cultu prosequerentur. Magna hominum celebritate, Clarorum etiam Virûm, & Praesulum confecta est in Augustissimo Templo Ceremonia [1]. Extemplo Carafa primus Familiae praeses a ceteris creatur, exemplo virtutis Cajetani inter Ordinum conditores eximio, atque inventu perraro; cum caussam, aliâs aequam, humani animi in regnum impetus arguat aequiorem. Verùm Tienes omnibus praecipue temperans, & demissioni animi non in dictis solis, sed in factis, ceterisque talibus, quibus agẽdi officio uti debemus, verè inhaerescens, modos vitae omnes juxta eam virtutem aurigabatur. Demissio quidẽ animi cùm prima, tùm omnium maxima nota probitatis. Horum, quae dicta sunt, quaedam communis Historia firmat; alia testimonijs demonstravimus. Sequitur, utrùm Tieni verè prima Ordinis creatio adsignanda sit, disputetur, non Carafae; quod nonnulli, nobisquoque nocendi caussa, oppugnare aliquando, & litteris prodere. Verùm id paucis absolvi poterit; cum absque delicto etiam praeteriretur: & modo haecce excutere diceres optimè actum peragere: etenim exploratam veritatem de Tiene & nostri, & alieni affatim effecerunt. Evidens est, Tienem primum cogitata sua de nova Congregatione ceteris patefecisse in Sodalitio Divini Amoris Ro-

(1) *Nostra Historia universa. Bzovius sub annum 1524. Platus de bono statu Relig. lib. 2. cap. 28.*

Romano. Immo secundo post Collium rescivit Carafa, sententia clarissimè expressa A. Caraccioli (1); cujus ipso eodem Ordine Historiam supra contexebamus. Caracciolus antiquitatem habet maximi hoc in negotio momenti: fide certissimus historicus: vir de quo nulla suspicio, caussâ non aequa, aut inani commoveri in Historia Sacra, cujus multa peritia potiebatur, & amore tenebatur, scribenda, cum princeps caput ageretur: non is etiam, qui studio partium percelli se facile pateretur. Non sententiam modo ipse enunciavit à Tiene primùm emissa fuisse excogitata, eaque palam facta, & facinus inceptatum; sed & caussas, quare Carafa à nonnullis habitus fuerit primus Ordinis constructor cum illis, quas nos significabimus, consentientes adjecit. Historicus autē noster, cum de Ordinis ortu scribit, argumentum totum exponit, universa complexus de Tiene primo conditore. Tum Decretum Consecrationis Cajetani pro comperto habendum imperat, primum eum mentem suam alijs aperuisse, auctorem omnium fuisse ad Ordinem spectantium, atque Tienem Ducem ceteros socios sectatos. Neque tantùm prima commentatio Cajetano ibi adscribitur; verùm etiam Carafa nusquam expositus Inventor primus, sed solum nil implicitè nominatus semper adjutor legitur. Hujus Auctoritatis pondus non ità facilè elevaris. Quis enim, quod praecipui erat Tienis, edici, modo non decerni aut falsò, aut temerè in Decreto Consecrationis animum unquam inducet suum? Tertio [quod Achilleum equidem duco; neque editum abs alijs inveni] indicatur planissime in memorijs Historicis Sanctae Crucis Brixiae (2), Tienem

(1) *In Vita Tienis Collectaneorum: & in Vita Pauli IV. lib. 11.*
(2) *Pag* 108. *&* 109. *Et Magen. haec adfert in Vita D. Cajetan p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 18. *n.* 148. *&* 149. *verùm usu valde alieno.*

nvitatum litteris Brixiam a Mignania, multam voluntatem ejus se invisendi probè noscente, cum unâ fuerunt, manifestasse aperte Virgini in collocutionibus animum de novo quodam Ordine Coenobitarum conficiendo; deque fine, quô illum intenderet; eamque omnia probasse, ac ad faciendum impulisse. Idem docuit Torellius [1]; quod testatur ex auctoribus Brixiensibus, & Codicibus Sanctae Crucis excerpsisse se: verba ejus sunt, postquam dixit, praeter Epistolas supra dictas scriptas Venetijs ad Mignaniam an. 1520, aliam Tienem ei Venetijs quoque misisse, qua monebat se brevi Brixiam adventurum.— *Subito giunto a Brescia andò al Monistero di S. Croce a visitare la sua dilettissima Madre Laura . . . . con tale occasione le palesò l'intenzione, anzi pure la divina ispirazione, che aveva di fondare una Congregaziope di Cherici Regolari, i quali alla maniera de' SS. Apostoli, e de' loro Discepoli si dovessero impiegare con ogni ardore nell' acquisto dell' Anime, e nella converfione de' Peccatori; che però la supplicava a volergli manifestare il suo santo consiglio in sì ardua impresa. Ciò inteso dalla Beata alzò gli occhi al Cielo, e rese grazie infinite alla Divina Providenza, che avesse istillata nell' Anima Santa del suo Figluolo* Spirituale *un opera così utile, e proficua alla Cristianità, anzi pure a tutto il Mondo*. Tempus antecessit quatuor annos inchoatum opus. Annus enim erat 1520; cum Cajetanus tum Brixiam ivit, & cum Mignania fuit, quod jam scriptum est. Qui quaestionis naturam diligenter percepit, argumenti robur intelliget. Nam ob haec manifestum fiet, a Tiene ijs temporibus isthaec animo jam agitari, palamque alijs edicta fuisse. Quare subruuntur fun-

[1] *Sub annum 1525. in vita L. Mignaniae.*

fundamenta cujuscujus oppositionis, negationisve adversus enarratam Historiam Sodalitij Divini Amoris. Ergo ea Historia consistit: sed nil tale de Carafa tunc in Sodalitate accidisse refertur: & tum sane nova Congregatio principium habuit. Haec autem sunt, quae primum Ordinis auctorem constituunt; eaque summa disputationis; cum nullus fere Sacrorum Ordinum ab uno, non adjunctis initio Sodalibus, ortum habuerit. Sed singulare id in nostro evenit, ut non modo socij essent, verùm, ut etiam alius, qui fuit Carafa, mox primas ageret, non parens primus; & universa novae molis principia, perinde atque Architectus, moderaretur. Caussae fuerunt; quia summopere is auctoritatis pondere, quo Romae pollebat, re. opitulatus erat; quia inter ceteros munerum, quoque amplitudine longe eminentior; atque ita in Urbe existimatione, & observantia spectatus, ut Cajetani ipsiusmet nomen imminueretur; etiam quia in gravium, ac magnarum rerum, praesertim in luce publica reponendarum, scientia, administratione, usuque peritissimus. Ea de re primas illico ei reliqui concesserunt, praesidem Sodalitatis renuntiantes. Illud quoque pro certo habetur, Cajetanum praeclara quaeque sua, aut non elucere involuta silentio, aut propriae operae surripi, semper enisum; quod non nostri soli, sed & alieni tùm illorum, cùm deteriorū temporū scripto consignarunt; idque caussā attulisse consilij de Carafa primo Ordinis Rectore creando. Scriptum est in actis ejus Consecrationis a Sac. Congregatione Rituum concinnatis: *Cum jam in Basilica Vaticana professionem emisisset, & ipse fundandae Religionis fuisset auctor, humilitatis studiosissimus noluit in praepositum eligi, sed Carafam sibi elegit superiorem* [1]. Idemque affir-

(1) *De Humilitate pag.* 32. *An. Caracciolus in Vita, in Collectaneis.*

affirmatur in Decreto ejusdem Consecrationis; *Quamvis primus Ordinis parens foret, ejus tamen regimen adsumere non est passus* [ea quippe virtute] (1). Neque Carafae animus imperare sueti a Regno alienus. Ergo amplior hic in nova Congregatione locus primam occasionem, argumentumque praebuit, ut nonulli Artificem eum fuisse Ordinis primum arbitrarentur; cum moderator praecipuus ad omnia initio navem gubernaret. Idcirco Litterae duae, Decretales dictae, Clementis VII. Pontif. M. ad nostros Patres datae, cûm Tienis, & Carafae nomine inscriptae sint, primo locant Carafam; & Benedictus XIII. in suis litteris nuper editis, quae iterum firma, rataque nostra conficiunt privilegia; atque complectuntur cuncta Decreta Sum. Pontific. ad nos pertinentia, Ordinique honores cum privilegijs statuentia, primum locum quoque Carafae deferunt, primo familiae parenti nuncupato. Eadem caussa fuit, cur nonnulli Auctores, admodum pauci, ex nostris vero unus Tufus, neque qui in nostrarum Historiarum cognitione, studioque oppido exercitati, id scripto mandarint. Praecipuè certo apud nostros, & Tufum Primus Auctor, Caput, Institutor Carafa dictus occurrit, quia primus vota emisit, ac primas partes in gubernando agebat, cûm Antistitis dignitate, tûm ex voluntate Cajetani, qui subesse volebat; uti quidam ex nostris commonuit. Et quidē Carafa, & alij duo probè *Fundatores, seu Institutores* queunt nominari. Quare quosdam hoc sensu loquutos credere licet; insensas controversias de vocabulo nil conciendo. Adest exemplum in A. Caracciolo; qui, cum in Collectaneis Tienem primum constituat Ordinis Auctorem, exposito-

---

(1) *Et Jacob'illius in Vita Ghislerij, aut Consilierij. Eliocle-rus lib.* 1. §. 69.

ſitoremque in Vita illius; idemque agat in Vita Pauli IV. tamen ita narrationem exorditur: *Caietani Tienei inter iv viros noſtri Ordinis conditores, poſt Carafam praecipui, geſta aliquot, quae tempus ad nos, & ſevera noſtratium incuria obruere non potuit, ſcribere aggredior:* primumque locum in collectione deputat Carafae. Quid ſi animi vana affectione incaſſum nil in Tribuni ſubagitatus ſubnectam, noſtrates primorum temporum, quod Caracciolus jure ſaepe queritur, incurioſè nimio plus egiſſe in monumentis geſtorum Tienis, ut pleraque negligentia, inculpata quidem, at quantùm damnoſa, obruta intercciderint! (1) Verum certumque eſt, ipſum Carafam & flagitioſorum morum, praeſertim Sacrorum Virûm, reparationem, quo incitato in haec erat animo vir, jam dudum ſecum mente revolviſſe; & fortaſſe, ut novo quoque Ordine perficeret, agitaſſe. Profecto ab Adriano VI. de hac emendatione conſultus fuerat; cui cum Marcello Thoma Gazzella, a Patria cognominato Cajetano, multum opis, induſtriaeque tulit in Chriſtianae Reipublicae adminiſtratione, & cenſura. Valde familiaris Carafae fuit Gazzella: ac Collega in miniſterio Regij Conſilij Aulae Hiſpanicae. Cognitionem, quantacunque eſt, ex ipſa eadem Vita Pauli IV. a Caracciolo conſcripta, atque per vetuſtas tabulas, monumenta, & commercia Epiſtolica ſolidè deducta, adſequuti ſumus (2). Verùm haec, etſi pariter erroris, quo de agitur cauſſa, ac principium fortaſſe fuerit, alia plane Hiſtoria eſt, quàm noſtri Ordinis origo, ut perperam a Scriptoribus commiſceretur: & manifeſto tempora Adriani VI, & Clementis VII, quo Pontifice fue-

[1] *A. Caracciolus in Vita Tienis Collectaneorum, quàmpluribus in locis.* (2) *Libr. 11. cap. 10 & 11. Adde Pallavicin. Hiſtor. Concil. Trident. lib. 2. cap. 4. num 1. & Joveum in Vita Adriani VI. apud Caraciolum ibidem.*

fuerunt Ordinis initia, inter se discrepant. Tienes autem non modo facinus animo reputavit, sed & manifestavit, & manus operi dedit. Alij etiam turpibus erroribus lapsi sunt in describendis hujus Ordinis principijs. Spondanus Thomam Marcellum Gazzellam cum Tiene permiscuit a cognomine Cajetani hallucinationem accipiens; eumque, perturbata Historia, nomina faciens Marcelli Cajetani Tienei, conditorem exposuit Congregationis cum Carafa (1); occasionem errandi nactus ex ijs, quae dicta sunt de Carafa, & Gazzella cum Adriano in christianae disciplinae restauratione versatis. Huic ipsi vitio vertendus error aliorum, qui eum inscite insequuti vocarunt Tienem Marcellum; ita Aicherius Ord. D. Benedicti (2); & Moreryus in suo Dictionario (3); & Ludovicus Thomasinius in Veteri, & nova Ecclesiae disciplina [4]: qui male quoque, & nil emendante in animadversionibus Mansio, censuit cum Vallemontio [5], votum efficere nos non potiundi censibus; cum id sola ratione Institutorum sic liberè servemus, ut violationem grave nullum insequatur crimen: contrariamque sententiam pluribus infra extrudemus. Errarunt & Ludov. Gottofredius [6], & Hieronymus Columbus [7] ille de tempore, hic de loco Institutionis Ordinis. Nam primus prognatum perhibet an. J. C. 1528; alter Venetijs, non Romae. Foedior fuit lapsus eorum, qui Tienem Contemplativae vitae Ordinem posuisse, non activae persuadere voluerunt; cum po-

(1) *Tom. 2. Annal. Eccles. pag. 635. n. 13. edition Venetae.* (2) *Epitom. Chronolog. part. 2. ad an. 1524.* (3) *Edition. Parisiens. anni 1716. verbo Theatins.* (4) *Part. vel Tom. III. lib. 3. cap. 7. num. 8. edition. Lucens. an. 1728.* [5] *Tom. III. libr. 6. cap. 1. ann. 1524. in Element. Histor.* [6] *In Archontolog. Cosmica num. 64.* [7] *Hierarch. Angel. & Homin. lib. 7. cap. 36. n. 28.*

potius contrariũ evenerit. Verùm ad utriusque vitae normam dirigi, expendique actiones suis ille praescripsit; & nos reipsa nihilo seciùs utrique inhaerescimus. De qua re brevi disputabitur. Sed ceteros omnes magnopere vicit in Historia de nostro Ordine mendorum plena Emmanuel Rodriguezius: *unde habuit*, quaerit in suis Quaestionibus Regularibus, *originem Congregatio Clericorum Regularium? Respondeo, quod congregatio Clericorum Regularium, qui vocantur Theatini, originem habuit a Domino Petro Carafa illustri Domino Neapolitano, qui Episcopus a Julio II. creatus, postmodum Episcopatum renunciavit; ac cum tribus alijs nobilissimis Viris voto solemni emisso observandi tria illa, quae alij Religiosi vovere solent, ante Principis Apostolorum Altare in Ecclesia ejusdem Romae an. salutis* 1528. *tempore Clem. VII. Theatinis Patribus initium dedit; qui ab Episcopo Theatino Theatini sunt appellati. Verùm quia haec Congregatio principiata fuit a Paulo III. Cardinale tunc temporis; & post mortem Marcelli electo Sum. Pontif. Paulo III. appellato; ideo a multis etiam Paulini sunt vocati, sed universalius Theatini, & sic in Hispania per errorem Religiosi Soc. Jesu Theatini appellantur* (1). Nonne austrum percellerem, si singula redarguere elaborarem; cum ne umbram quidem Historiae Institutionis nostri Ordinis novisse se plane ostenderit? eodem modo in aliorum erroribus refellendis, manifesti enim sunt per ea, quae posuimus, opera luderetur. Summa Capita Institutorum novi Ordinis postremo loco sunt edocenda. Verba votorum ita concepta fuerunt, ut D. Petro Apostolo etiam fierent; nobisque similis ritus imperatus est. Sunt autem: *Ego Cajetanus Thienaeus Vicentinus, Apostolicus Protonotarius, profiteor hodie*

 co-

[1] *In quaestion. Regularib. tom. 1. quaest. 3. articul. 14.*

coram Domino, & Beata Maria Semper Virgine, & eodem Beato Petro Apostolo, & tibi Reverendo in Christo Patri Episcopo Casertano Commissario Apostolico, ad haec per Sanctissimum Dominum Nostrum specialiter vivae vocis Oraculo deputato, nomine, & vice ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Clement. Papae VII, & Praeposito per nos eligendo: quod ero obediens eidem Sanctissimo Domino Nostro, & Praeposito supradicto, eorumque successoribus canonicè intrantibus usque ad mortem, secundùm regulam Clericorum Regularium, sub tribus votis Paupertatis, castitatis, & obedientiae . . . . . Ego Cajetanus Thienaeus propria manu scripsi, atque ore proprio pronuntiavi [1]. Id consulto factum; non modo quia Tienes cultor magnus D. Petri; quem suae Congregationi Caput, & Ducem adsignavit [2]; verùm etiam quòd ita Institutis primorum Christianorum, potissimùm Apostolorum, nostra congruere indicarentur (3); atque solum animum fuisse Patrum, Sacerdotes votorum quidem vinculis obstrictos unà sociare; uti innuimus; non vero qui se praeter haec in ceterorum Coenobitarum speciem assimilarent, conformarentque; aut Monachos, vel Mendicantes persequerentur. Quare male Ordinis nostri disciplina ob hunc votorum Ritum ad D. Augustini Ordinem referretur. Quidam id crediderunt, & sententiam quoque litteris tradidere; quam disertè refutavit A. Caracciolus in Praefatione praejacta notis Constitutionum Clericorum Regularium ab ipso concinnatis (4). Praeclarum sane id opus per

[1] *Exemplar extat in Tabulario Capitolij inter scripta Stephani de Amandis.* [2] *Decretum Consecrationis.* (3) *Orassius Olivetanus in suo: Mondo sul niente, pag. 27.* [4] *Et manifestè etiam Bzovius sub ann. 1524. num. 64.*

perdocti. Viri non modo Sacris Litteris cûm primis eruditi, sed & Graecarum, Latinarumque valde scientis, quod conscripti libri commonstrant. Procul jactantia verbis laudes enarrantis adfinis. Singula is in proëmio, tum in Libro toto, qui etiam Synopsis veterum monumentorum titulum habet, neque uno in loco typis excusus est, recensens Capita Institutorum, summam consensionem nostrae disciplinae quod ad leges, vestes, cantûs ritum, cetera spectat, cum moribus Christianorum, Apostolorum, & Christi aetati citimorum fusa oratione consectatur. Res vero non monet, & si commentarius prisca doctrina redundet, ut universa excutiantur. Et quidem nobis id solemne, ut ante votorum nuncupationem caput IV. Actorum Apostolorum praelegatur; ubi eorû agendi consuetudo nostrae simillima comprehensa est: proëmiumque memorati libri his verbis incipit: *quam Religiosè vivendi rationem ex Apostolorum actis excerptam* . . . . Ijs principijs habuerunt Patres adversaria quaedam Legum, & Institutorum; uti alia ab alijs idonea perspecta pro re nata conderentur, actioni vitae Sacerdotûm ab hominum depravatione recedentium consentanea. A nullo solo Leges initjo compositae, aut editae: sed aliquandiu inconditae nonnullae ita perstiterunt statutae, ut vitae ratio communis fieret; voluntate quoque, & jussu S. P. Clementis. Dein eaedem adauctae privato scripto notatae fuere a Collio, missaeque ad Gibertum. Quorum exemplar extitit manu nostri D. Andrae Avellini conscriptum. Posthac in comitijs identidem incrementa majora acceperunt, congestusque integer liber evaserunt, primis congruentia, & nova alia includens. Quis non novit magnam partem obtinendam in illis fuisse a Tiene, & Carafa? Tandem non paucos post annos ab uno ex nostris scito latino sermone liber conscriptus est Clem. VIII. Sum. Pontificae; ac Romae in Lucem editus an. 1604.

 De-

Decretoque Pontificis probatus; quod incipit. *Etsi ex debito Pastoralis officij singulos Religiosos* [1] . . . . . Pressa quidem oratio adhibita; sed honestissima simplicitate referta; praeter nitorem, elegantiamque, quae inferri poterat, latinitatis. Post Caracciolum Alexand. Peregrinius noster Capuanus alijs curis Codicem exornavit; & novas explanationes cumulatè interseruit, dissimili doctrina. Caracciolus vetustâ usus ad primorū Christianorum consuetudines universa refert: Peregrinius recentibus Juris Pontificij, & Theologiae Decretis cuncta perfundit, opportunis quaestionibus ad singula ferè capita accomodatis. Ergo meo judicio Codex Institutorum duobus interpretationum generibus temperatus, aut alijs ceteterorum Coenobitarum anteponendus, aut certè nulli eorum secundus. Haec de solo libello dicimus Latino nomine inscripto, Constitutionum Clericorum Regularium: multi vero ei sunt adnexi titulo Decretorum. Distinctam, lucidamque Historiam tetigisse dici potest Caracciolus commentarijs enarratis (2); cum nemo ex nostris ita perspicuè exposuerit. Sed manifestiùs in Vita Pauli lib. 2. cap. 4. rem pandit — *In questi primi anni della Religione* [*cioè tra il* 1525, & 1526.] *si fecero secondo la facoltà data a nostri Padri da Clemente VII. alcune Regole, e Costituzioni, per cominciare un ordinato, ed uniforme modo di vita Clericale, e Religiosa: ed a me pare, che le dette Regole fossero quell' istesse, che pochi anni dopo furono scritte dal P. D. Bonifazio da Colle al Vescovo Giberto, delle quali io ho un antichissima, ed affumicata copia fatta dal P. D. Andrea, forse quand'*

era

(1) *A. Peregrinus C. R. in Commentarijs in Constitution. C. R. super titulum.* [2] *In Praefatione.*

era novizio. Non le metto quì per non esser troppo lungo: ed anche perche conosco, che non è bisogno, giacchè tra noi ve ne sono molte copie. L' Autore delle dette Regole accenna il Solerio Mss. de vita contemplat. fosse il Vescovo Teatino; ma si deve credere di consenso de' compagni; e massimamente del S. P. Gaetano. Nonnulli sententias projecerunt Tieni universas Legum sanctiones, & compositionem tribuendam; a quibus prodita Historia, veracitatem omnem praeseferente, & auctoritate Caraccioli freti dissentimus. Non id insuetum in primis aliorum Ordinum temporibus. Cajetanus certo multa novae familiae, credimus, constituerit: ast id bene ab illo differt. Neque quicquam officit Sac. Congregationis Rituum dictum, *Romae Religionem Tieneum instituisse, ac sanctis, & piis Constitutionibus, & Legibus munivisse* [1]. Etenim generatim id, uti vides, enunciatum: vel res gravi examini non subijci credita; sed per opinionem proposita, aliquo ex nostris impellente liberali ambitione; quae si sua, aut quae tribûs sunt, magnificare oporteat, illicò vel levissimè compertorum rapit fidem. Profecto si etiam accuratè praefatio ejusdem Libri legatur, veritas nostrae narrationis, ordoque ibi inesse agnoscetur. In duobus sita sunt praestantiora fundamenta, atque praescripta Legum Ordinis; in victu non modo absque censu, verùm & absque alimentorum quaestu substentato, sola divina Providentia ministra universorum, ac in vita Contemplativa simul, & Activa. De hoc altero nil in rem est, neque ad istitutum nostrum adtinet effari nos; cum explorata quoque res sit; & Summorum Pontificum Gregorij XIV; Clementis VIII; & Pauli V. declarationibus

(1) *Articuli in caussa Consecration. B. Cajetan. de Prudentia pag. 18.*

bus rata [1]. Scriptumque eſt parte prima capitis V. noſtrorum Inſtitutorum — *Iis* [Populis] *praecipuam exhibeant* [Patres] *charitatem: rem ſuam privatam, & communem ne ſpectent: Animarum ſaluti magnopere ſtudeant.* Pauci ſanè huic parti obſtiterunt: fecit Payva Luſitanus Scriptor (2). At horum opiniones Hiſtoria noſtra univerſa, ejuſque princeps Siloſius refutat. Egregiè verò ſupra ceterorum conatus aut eductos, aut latitantes [multa enim ſcripta de re hac contra adverſarios habemus, cum fervidè exarſerit olim controverſia] praeſtitit id lucubrata conſulto Diſſertatione contra Payvã meus Caracciolus; quã Octavio Bandinio Cardinali Decano Epiſcop. Oſtienſi dicavit. Typis ea excuſa eſt: & à noſtro Novarinio in ſua Encyclopaedia Epiſtolari evulgata: ſed & alieni conſenſere. A. Adrianius in ſuis Hiſtorijs, quae dictante Coſmo I. Etruriae Magno Duce conſcriptae dicuntur, haec de novo Ordine tradit, etiamſi Paulo IV. infeſtus: *Crearunt novum Pontificem Cardinalem Neapolis è nobili in ea Urbe ſtirpe Carafa, Virum quidem apprime clarum; & qui olim fuerat Epiſcopus Theatinus, auctorque novae Religionis morum probitate, demiſſione animi, & in Deum devotione praeſtantium, quos ab eo poſtea Theatinos appellarunt. Ii ſanctam agebant vitam; erantque ex ſui Inſtituti profeſſione haereſeon acerbi perſecutores, atque Eccleſiae Catholicae defenſores* — Pro Cenobitarum Ordinem vitae ſolum contemplativae! Adde ſis praeclarum Teſtimonium Cardinal. de Luca in Libro *Il Religioſo Pra-*

---

[1] *Gregorius Conſtitutione, Ad perpetuam ann.* 1591. *Clemens in Decreto; Et ſi ex debito Paſtoralis officij: quo Liber noſtrarum Conſtitutionum probatur, anni* 1604. *ipſi praefixo. Paulus in Conſtitutione, In Apoſtolicae ſedis ſpecula, anni* 1612. [2] *In orthodoxis explicationib. lib.* 1. *cap.* 1.

Pratico: & Thomasinium utramqe vitam nobis manifestè adscribentem in nova, & veteri Ecclesiae disciplina (1): *Clericorum mere Clericorum semper in Ecclesia fuere religiosissimae Congregationes: non attingam Clericos Regulares, quos Theatinos dixere, & quorum Institutio approbata est a Clem. VII. an. 1524. Non Clericos Regulares D. Pauli, seu Barnabitas, qui ab eodem Pontific. approbati sunt an. 1533. In his Congregationibus enim pulcherrimè conjuncta, & confederata est Clericalis vivendi ratio cum Monastica: nec distant Clerici hi Regulares a Canonicis antiquis Regularibus, nisi in rebus, quas differe necessum est in Institutis tanto ex intervallo temporis distantibus.* Verùm omnia Caraccioli Dissertatio comprehendit. Qui in vita quoque Pauli IV. testimonium adfert Cardinal. Tarugij fatentis, nostros ann. 1525. Sodalitium Divini Amoris, & Nosocomium Incurabilium Romae crebro convenire ad Confessiones Christianorum audiendas, ad concionandum; aliaque praestanda Ægrotorum, Hospitumque commodis [2]. De primo acriter advertere oportet, insignem certo notam illam esse hujus Ordinis; primisque temporibus ei normae vitae severè obtemperatum; cum dein quibusdam in Domibus identidem, uti humana sunt omnia, jus rigidum sit remissum, & de Lege [multis inopinatò evenientibus] non nihil derogatum. Cedo hominum coetum, ne de solis Cenobitis dicatur, certis, statisque legibus advinctum, qui à priscis vivendi vijs nunquam deflexerit: cujus disciplina in universa compagine alicui resolutioni non succubuerit? Immo quò plures leges, aut vincula obligantiora, eò pronior violationis occasio, periculumque cele-

(1) *Libr. 3. tom. 1. cap. 63. Edition. Lucens.* [2] *Libr. 2. cap. 4.*

celerius. Natura leges praecedit. Humanae indolis est inscitia, nostra ingenia putare semper a pluribus ingestis praeceptis refraenari. Hominum libertas appetitionibus scatet, non ita castigatu facilibus; cujus superbia rarô imperijs protinus debellatur. Verùm herclè vere inique id aut in crimen, aut in maledictum nobis averteretur; quique vellent nostra hoc latere carpere; vel, quod persaepe fit, rem probe non noscentes insipienter agerent, vel sola pravitate decertarent. Nam primo: Nostrorum Institutorum basis est, per illa in gravem culpam nil conijci delinquentem, si abfuerit contemptus. Quippe in eorum proëmio ita decretum: *Ceterum ut Animarum consulamus tranquillitati, declaramus, nullas constitutiones, aut regulas obligare nos ad culpam, sed ad poenam: praeceptum autem apud nos nullum aliud habemus, quàmquod aut naturali, aut divina, aut Ecclesiastica lege, aut trium votorum ratione continetur* -- [1]. Contemptus autem, sciunt Theologi, censetur quòque diuturna, aut perquam negligens non obedientia. Dein spontè nos dumtaxat, ulla lege, non modo quovis voto neutiquam devincti huic vivendi rationi à majoribus quidem nostris acceptae, illorumque consuetudinem imitanti, ut neque habeamus, neque quaeritemus certas opes, insistimus. Praeterea nulla cogit Legum praescriptio. Sed imperita multitudo rumorum vulgi pedissequa, nil adcurate eventa tenens, commiscensque separata, in hujusmodi opiniones adducitur. Invictum testimonium desumitur ab ipsis nostris institutis ita secunda parte, ubi de paupertate agitur, statuentibus: *Etsi neque per*
pro-

(1) *Lege quae habet Peregrinus in Commentario in hunc locum.*

professionem, neque per Sacros Canones probibeamur annuos redditus in commune possidere: per Concilium autem Tridentinum id nobis sit concessum; nihilominus (voluntariè tamen, ut nullo unquam vinculo adstringamur) ab illis abstinemus; quo a saecularibus negotijs liberiores paupertatem Christi Domini, Apostolorum, & multitudinis illorum, quibus cor unum, & anima una fuisse legitur, imitemur: illud habentes in memoria: nolite solliciti esse, quid manducetis, aut quid bibatis, scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis (1). Etenim Sac. S. Concilij Tridentini (2) scita omnibus coenobitis, seclusis Cappucinis, & Minoritis, ejusmodi constitutos census esse permiserunt. Nostra vero Congregatio condita erat: & amplius per ea tempora in primaevis principijs coalescebat. Ex verbis autem Institutorum magnam caussam praescriptionis abstinendi a redditibus, & postulatione fuisse discimus, imitationem actionis vitae primorum Christianorum. Etiam dicendum, nil in illis crebriùs, ac sollicitiùs urgeri, nobisque significari, quàm nullo nos gravi premi praecepto. Quod cum supra exposito consilio primorū Patrum in novo Ordine constituendo planè congruit. Praetereà rem omnino convincit Decretum Rotae Romanae coram R. P. D. Priolo in Romana Legati anni 1690. Lunae 12. Junij: & bis an. 1692. primo vener. 4. Julij; secundo Lunae 24. Novemb. semel atque bis iteratô determinans, posse quidem Nostros domûs D. Sylvestri Romae in hereditatem inire aureorum 1500. a Julia Mattheia Matrona Romana legatorum, inanibus consti-

H tutis

[1] *Vide Peregrinium hoc in loco. Item alia dixit de re eadem in secunda parte Compendij nostrorum privilegiorum tit. hereditas §. prim. & in Scholio.* [2] *Session. 25. de Regular. cap. 3.*

tutis adversariorum argumentis ex hac lege nostra desumptis; produnturque in Judicio Capita rationum per nos modo prolata. Denique hi census, ubi ij habentur, vel sortes, vel collationes pecuniae sunt a pijs Christianis in impensas sacrarum oblationum, & Sacrificiorum praebitae: pene ridiculum vero esset, si quod inde supererit, aut sortis foenus superans sumptus, non lucellum fieri, seu proijci foras. Quin immo Romanae Potestates sumi a Conventibus Sacerdotum anniversariarum sacrificationum, aut cujusque generis Sacrificiorum onera, non tributa pecunia, vetare pluribus sanctionibus non desistunt, ad absurda intercludenda: qua de re in comitijs an. 1636. Philip. Quadagnio Praeposito Generali secundò, statutum est, re ad Patres delata, annuos proventus in Ceremoniarum, sacrorumque sumptus accipere, retinereque nobis licere, neque illis, quae part. prima cap. 3. nostrorum Institutorum scripta sunt, quicquam id adversari. Quod sententiam cum regula contraria efficit stabiliorem. Communis publici Chori Divino Concentui, instar reliquorum Coenobitarum, addicti sumus primitiva institutione Theatini: cantus vero imperatus omnino simplex absque modis, & sonis musicis; qui vetus mos fuit Christianorum: idcircòque id decretum, ut in illorum temporum Institutis nostra arcto quodam necessitudinis vinculo plane continerentur (1). Ipsum canendi ritum Ordines omnes post nos persequuti sunt; etiamsi quidam ex ijs non nisi pristinam disciplinam reficerent ejusdem Ordinis [cetera idem ipse]; qui concentu divinas preces in Choro ex praescripta regula mo-

[1] *Fusè A. Caracciolus in Commentario in part. primam a n. 10. ad 13. & Peregrinius ibidem.*

modulatur. Crediderunt nonnulli Tieni, & Sodalibus ita visum, ut blandae vanitatis periculum in fusi illius cantûs jucunda [si Deo placet] elegantia caveretur. Quis animus fuerit Gregorio de Valentia, an ne anceps sententia, equidem escio, dum scripsit in sua Theologia (1) *Sacri Chori cantum non satis convenire ijs Religionibus, quae sunt ad concionandum institutae.* Item: *Si quando in aliquo Ordine similis chorus introductus est, caussam videri fuisse, ut inepti ad alia ministeria spiritualia in his occuparentur.* Etenim per Sacram Historiam constat non veram esse positionem; quaeque levi negotio refellitur; tùm si alternantis sacri cantûs prima origo, & inventum primum; cûm si tot illustrium Virorum, & Coenobitarum exempla spectentur, quovis virtutum, & litterarum genere praestantium; quorum per omnem aetatem plurima scripta, atquae operae ob Christianam Rempublicam infinitae extiterunt: cum tamen ab hujusce Chori officio minime semoverentur. Verum certumque est, Coenobitis ob singulares studiorum labores, jure ipsiusmet Ordinis publico, Chori, aliorumque ejusmodi onerum levamen meritissimô tribui. At id non fuit Gregorij dictum. Antonius Caracciolus sensus hosce consultô refutare operae pretium duxit; si fortasse etiam nos impeteremur. Id duobus effecit modis; primo perdocta Epistola data ad Card. Baronium; secundô scholastica disputatione Francisco Didaco Granerio Ord. Praedicatorum missa, quo efflagitante, facinus alacriter excepit. Ecquis in Claustris Sacris degentium novis hujusmodi opinionibus non percellatur? Ambo scripta evulgata sunt [2]. Epistola vero; vel satiùs Episto-

(1) *Tom. tertio part. ultima edition. Ingolstadiensis. an 1595.*
[2] *Typis excusa Madriti ann. 1604. majorum permissu.*

lae pars, quae de negotio peragit, ita infit: *Jam parabam obsignare litteras; & cum hac me opella defunctum putarem, occurrit animo quod hoc se loco praebeat aliqua censura notandum. Gregorium de Valentia Virum & suo ipsius nomine, & suae societatis claritudine conspicuum; multûm esse de sacris litteris, multûm de Catholica Religione promeritum, nec me latet: & scit una mecum non una Orbis Regio. Verùm dicto venia sit, id quod adversùs hymnodiam in plerisque sacris Ordinibus perpetuo ritu sancitam ausus est scribere, nollem equidem a se unquam scriptum, aut a me usquam lectum: scripsit ille tamen: quod cum eum protulisse, non pigeat; certo me spero, & confido retulisse, non poenitebit: Mitto multa, quae tota illa sectione postrema Tertij voluminis Theologici acerbiusculè docuit, & velut semina sparsit non bonae frugis. Plura sunt, in quae lector offendet passim obvia. Ego eò me transfero, ubi aperta ejus verba pectus mihi lancinant, & bilem cient. Si quando, inquit, in aliquo Ordine similis Chorus introductus est; causa videtur fuisse, ut inepti ad alia ministeria spiritualia in his occuparentur. Hoc est [tuo sensu] ut tempus quod alioqui totum stertentes, torpidique contererent, in his impliciti homines ignavissimi, vitam diemque cantillando traducant.* Haec Caracciolus. Quae Theologi ita loquuti juvare partes possent, Caracciolus in disceptatione sollerter occupavit. Qui certo ducendus est, quippe solidi judicij vir, tanto curae, laborisque hoc in evento pepercisse; si FABULA sola quaedam, aut magis innoxia opinio Geometricè non demonstrata argumentis foret labefactanda. Verùm res momentum habebat: & quidem Granerius in Libro probando [1]; *Miris modis*, inquit, *oblectatus sum.*

[1] *Qui modo enunciatus est.*

sum iis duabus apologiis observandi P. A. Caraccioli Instituti Clericorum Regularium. Nam auctor eleganti, acutoq; atque erudito stylo Ecclesiasticum cantum [Chori nimirum Officium] Sacrosanctae Matris Ecclesiae ab ipse Christianitatis exordio a S. S. Patribus tanto in pretio habitis protegit. Ideo censeo jure optimo opportere ipsas Apologias typis mandari pro communi Ecclesiasticorum utilitate, ac etiam ut ora obstruantur eorum, qui temerè de cantu Ecclesiae loqui ausi sunt. Non majores, & Patres nostros afferam pro Sacro Choro. Gravissimi Auctores Societatis Jesu omni via à Gregorio dissederunt: Turrianus annotationibus in D. Clementem [1]; Jacob. Alvarezius in libro de Inquisitione Pacis [2]. Cresolius in mystagogicis (3). Quis enim non discreparit? Denique ultimo loco tria sincera, praeclaraque testimonia de concentu Chori immodulato primae Christianae Religionis aetati consentaneo mittere nolumus; D. Isidori de Eccles. offic. (4) *Primitiva Ecclesia ita psallebat ut modico flexu vocis faceret psallentem resonare, ita ut pronuntianti vicinior esset, quàm canenti.* Qui noster cantus est: Nicephori in sua Histora Sacra [5]; *Cum jam per tria a Christo nato saecula simplex cantus, seu potius recitatio nullo modulationis fuco permixta Christi Populos nutrivisset*: Et Bartholomaei Gavanti optimi in his Auctoris, in Rubrica Breviarij [6]; *Cantus primitivae Ecclesiae modico flexu vocis pronuntianti Psalmos, quàm canenti vicinior erat.* Subijcitque: *renovarunt hunc cantum Clerici Regulares.* Nobis primum Clericorum Regularium nomen factum est ob congruentiam cum certo vitae genere

[1] *Lib. 2. cap. 54.* [2] *Tom. 3. lib. 1. part. 2. cap. 5.* [3] *Lib. 3 cap. 27.* [4] *Lib. 5. cap. 5.* (5) *Lib. 9. cap. 16.* (6) *Sect. 5. cap. 8. n. 15.*

nere Apoſtolorum, & primi aevi Chriſtianorum. Peregrinaretur enim vere longè quis a Sacra Hiſtoria tota, communia, uſitataque nomina illorum fuiſſe non cognoſcens. Et quid Canonicus, niſi Regularis? Quare Clerici Regulares, & Clerici Canonici idem foret (1). Ita cum ceteris Cenobitis nihil nobis eſſe indicabatur in nova Inſtitutione, commune. Inde vero Ordines alij inſtar noſtri conditi cognomen illud, tamen non ſine additione aliqua cujuſque propria, arripuerunt; ut noſter, qui primus, honoris gratia ita nuncuparetur. Quandoquidem à noſtro principium, & exemplar plures alij ſumpſerunt, primo nomine Clerici Regulares dicti, ob originem, & principem Ordinis normam, quam a Tieneis mutuati ſunt, ipſis eiſdem in alijs quoque facem praeſeferentibus; ſed ponè alio cognomine adjecto: Ita Barnabitae, Patres Societatis Jeſu, Patres Congregationis Sommaſchae, Clerici Regulares Minores dicuntur. Mox, aut ipſo eodem tempore Theatini appellati fuimus ob Carafam Antiſtitem Theatis, dignitate vero, & Ordine reliquos praecellentem; ac civiles primaſque ſocietatis curas amplexum. Nullo pacto in animum inducam conſiſtere inditam a nonnullis [2] huic vocabulo etymologiam, ut a Graeca voce Theos, ſive Theates ſit ductum: quaſi ita divini, ſeu contemplatores vocati novi coetus homines forent. Unde, bone Deus, etymi ratio, & fundamentum? Quod nam teſtimonium, aut argumentum vel leviter convincens? Similem hanc

[1] *A. Caracciolus in Synopſi, ſeu Commentar. dicto in notis in praefat. Et in Vita Pauli IV. lib. 2. cap 2.* (2) *Bzovius ad an. 1540 n. 64. Ju. Negronius Commentar. in Regulas. Soviet. Jeſu part. 3. Magenius Vita D Cajetan. p. 1. libr. 2. cap. 10. alijque ex noſtris multi quos inter Ant. etiam Caracciolus in Vita Pauli IV. lib. 2. cap. 2.*

hanc duco bonae parti etymologiarum valdè dubiarum, ne dicam plane arbitrariarum. Id verum eſt, eam denominationem in indicandum quemque vitae innocentia commendatum profluxiſſe [1]; hacque ratione cognomen idem praebitum olim in Hiſpanijs interdum Viris Societatis Jeſu (2). Quod ſuis etiam temporibus, pluribus quidem annis actis, evenire monuit Negronius [3]. Ante nomen praepoſitus eſt Titulus Domnus, pro Dominus, inſtar Sacerdotum, & Monachorum, differentia vero Mendicantium [4]. Pallium, & Tunicam, cum cingulo nigri coloris veſtimenta ſola initio noſtri habuerunt, quâ domi, quâ foris; aſſenſu Sum. Pontificis Clement. VII. [5] Quas Caracciolus vetuſtiſſimas fuiſſe Sacrorum Miniſtrorum veſtes multis diſputat praefata Synopſi: nigerque color univerſi veſtitûs initio erat: ſed immutationes dein inlatae, decretis etiam Comitiorum. *Veſtitus noſter niger ſit* in noſtris Inſtitutis de veſtitu dicitur; alienis quoque palam confitentibus. Nam Thomaſinius in ſua veteri, & novâ Eccleſiae diſciplina (6). *Quod ad colorem nigrum*, ait, *ſpectat, & ſi de eo expreſſae, & univerſim receptae leges nuſquam occurrerint, niſi poſt Tridentinam Synodum; conſtat tamen perdiu ante ejus uſum percrebuiſſe apud omnes, qui modeſtiae, & accuratioris Clericorum diſciplinae ſtudium praeſeferrent. Teſtis locupletiſſimus erit Ordo ipſe univerſus Theatinorum, qui* Cle-

---

(1) *Fulvius Androzius, Conſalvus Ileſcaſius, Bzovius, Lucius Camarra apud Magenium ibid.* [2] *Suareſius tom. 4. de Religione. Ribadeneira in Vita D. Ignatij. Sacchinius, & Orlandinius in Hiſtorijs ſui Ordinis S. Jeſu.* [3] *Ibidem.* [4] *Briſſonius libr. 7. de formulis. In Regula D. Benedicti cap. 63.* (5) *In Bullario Roman. Conſtitutione 38.* [6] *Tom. 1. lib. 2. cap. 4. edit. Lucenſ.*

Clericorum Regularium nomine, & laude ab exordio suo floruerunt, professi nimirum vitae Clericalis austerissimas leges, & vestitum simplicissimum sub solito, & communi habitu Clericorum. In mutationibus cooptatus praecipuè fuit interior vestitus albus; quo in Hispanijs à Patribus Societatis Jesu, dictis quoque Theatinis, uti nuper dictum, secerni diu nostri. Pallium erat exertis manicis Romanae Aulae ritu, (1). Postea in longam lacernam talorum tenus discinctam immutatum, reverentiae caussa ergà Romanos Praesules: illamque sumimus, cum è domo egredimur: mos vero gestandi Pallij exortis, & pendulis manicis domi solo hyemis tempore servatus est; & etiamnum retinetur: Quin immo diù hocce pallium extra domum ferre Veteres nostri consueverunt: at modo foris semper utimur omnes lacernâ, cum primum in communem cum alijs societatem in nostris domibus dimittimur; anteà ferendum est Pallium. Integumenta Capitis habemus semper parvum nigrum galerum: praeterea foris vulgare pileum; & domi alium galerum in parvum impositum gerimus, tetraëdrum, tria sola intorta latera supra verticem prostantia, inque centrum desinentia, figura notissima, habentem; omniumque color niger. Hinc intelliges quàm vere nostra solum Congregatio sit in commune agentium Sacerdotum, praeter Claustra, ceteris non Coenobitis fere ad omnia similis; cum potissimum primis temporibus vestitus ad communem Sacerdotum morem conformaretur, postea identidem nonnullis inditis dissimilibus formis. Quid plura? Solos Sacerdotes nos a ceteris abductos, inque commune agentes Ordinis Institutis esse, evidentissimè demonstrant obsignationes, quibus primi no-

(1) *F. Modius de Habit. Religiof. lib. 2.*

nostri Patres omnes, & Parens Tienes utebantur in Epistolis. Post nomen adjiciebatur tantûm *Presbyter*. Vis magna Epistolarum illorum apud nos est: & D. Cajetani publicae. Paulus Serlogus Societatis Jesu (1) mirabilis ostenti meminit Mariae Escobariae Virginis Hispanae Vallisoleti valde religiosae, quo Je. Christi Corpus enarratas vestes indutum clarissimè spectabatur. Exardescebat Escobaria vehementissimo amore erga Christum Jesum; cujus venerandum Corpus proprijs sensibus adspicere percupiebat, osque, humerosque, vestimenta, incessum, vestigia cognoscere. Conspicuum ei ab humanis abreptae sese Jesus die quadam repraesentavit, adspectu, vestituque amictus, quem gerebat in Divina novae Legis praedicatione, nimirum calceatus, praecinctus subucula linea, tunica vero exteriori, & pallio laneis, ad talos dejectis; eâque conclusa, hoc aperto, & manicis aliquantum latis. Ita J. Christus vestitus Virgini apparuit: ita ab illa vestes exploratae; quae, ait, Serlogus, *a Clericorum Reglarium vestitu prorsus non differunt*. Utrum singulariter de nostro Ordine, an de ceteris simul nostro similibus sit ita loquens accipiendus, equidem nescirem. Imago Visi statim, exprimente singula Escobaria, vulgo efficta varijs modis fuit: &, ne de rei veritate ambigas, Ministri Sacrae Inquisition. Vallisoleti pro comperto omnia adamussim explorarunt, probaruntque. Parvi vero refert, de quibus dixerit Serlogus; cum exiguum sit inter nos Clericos Regulares indumentorum discrimen. In sacris cujusvis generis ministrandis, in altari operantes, in Choro, in concionibus, assimilamur vestibus omni ex parte ceteris

 Sa-

[1] *Tom. 3. in Cantica. Item Magenius in Vita D. Cajet. part. 1. lib. 2. cap. 10. n. 267.*

Sacerdotibus; quibuscum, uti monuimus, unum ferè sumus. Et quidem apertus est sensus nostrorum Institutorum de vestiendi sanctione: *Vestitus noster niger sit, uti honestos decet Clericos* [1]. Neque aliud exposcitur. Item cum ex Ordine Clerici Regulares quilibet ad ampliora Divina Munera a Sum. Pontificibus admoti egredimur, communem sacrum vestitum omnino imitamur; non ita reliqui Coenobitae. Scripto designata Theatina vestimenta sunt Capite secundo Libri secundi Institutorum. Verùm figuras oculis subijciam; ut manifestiùs, si fideles illi, cùm minimis differentijs agnoscas. Ordinis nostri Instituti ratio est, ut, etiam si praesides alij sint, seu ministri; solis nos Generali Praeposito, & Praeposito domûs submissi simus; & illi longè maximè; qui & iii domuum Praepositos potestatē eandē obtinet, & uuiversa Ordinis moderatur. De multis vero sine suffragijs quatuor Cōsiliariorū in comitijs generalibus creatorū deliberare non potest. Ergo his solis obedientiā praestare tenemur. Ex hisce omnibus perspectum est, in Tieneo Ordine, atque in animo Conditoris Cajetani Christianam virtutem Pauperiei ad sublimem apicem, ut nihil supra, evectam fuisse; quô nequaquam D. Francisci Assisiensis, aliorumque, qui in eodem agone strenue fuerunt, molimina contenderunt. Etenim vitae adminicula nulla stabilia possideri; non vero, ut ne postularentur quidem, ij jusserunt. Sed contrarium decreverunt. Id constantiae, fervidaeque fidentiae genus in solo divinae Providentiae praesidio, quae a Christiana quoque magnanimitate minime seponitur, Summi Pontifices, gravissimique viri vehementer suspexerunt; quidam ver-

[1] *Parte secunda cap. secundo.*

verbis, alij scriptis in coelum extollentes [1]. Opinio fuit, laudatissimam hanc inopiam ab Apostolis, & Christianis primis vitam, certis bonis repulsis, tollerantibus excultam fuisse [2]. Disputationem in medio relinquimus. Neque operis propositum eam excipit. Videntur mihi eruere posse multa docti è veteri Sacra Historia huic cultus, victusque modo repugnantia. De auxilijs autem ad victitandum non opinatò nostris Patribus saeva egestate languentibus interdum delatis, certissimum est, Divinae Providentiae Numen subventasse: verùm non semper, illa divina Potestate, quam absolutam Theologi dicimus, & via supernaturali agentem, id accidisse, necesse est existimare. Sed illa Dei Providentia curabat tertio loco a Theologis reposita in partitione (3); nimirum occupata in administratione eorum, quae ab hominibus efficienda sunt. Siquidem Deum O. M. infima quaeque cogitatione complecti, nihilque neque generalium, neque singularium negligere, magnum est verae Religionis Decretum. Ergo Divini Numinis cura fuit specialis, opes ad vitam sustentandam tunc suppeditans, ut nova disciplina hominum mirificâ erga Deum caritate flagrantium fieret testatior; tamen non necessaria divina potentia, quae tum ibi olera, panem, vinum, carnes, oleum procrearet, intererit. Haud secus ac subsidia panis Eliae,

[1] *Multorum testimonia collegit Magenius p. 1. lib. 2. cap. 9 a n. 236. ad 259. Innocent. XII Pontifex M. in Decreto Consecrationis. Bzovius ad ann 1524. Rota Romana in Vita D. Cajetani.* [2] *A. Caracciolus in notis In Constitut. C. R. part. 2. cap. 1. n 10. Baronius annotat. in Martyrolog. Romanum die 29. Junij.* (3) *Petavius Theolog. dogmat. cap. 4. lib 8. Boucatius Bituricus Theolog. dogmat. dissertat. 2. de voluntate Dei Providente artic. 1. initio.*

& D. Paulo primo Eremitae per corvos, consilio, & ope divina, advecta fuerunt: & duo Leones D. Antonio Ægyptio ad eundem Paulum mortuum humo inferendum elumbi praesens auxilium praestiterunt. Nos ejusmodi divinas latas suppetias, ubi Historiae series exposcet, significabimus (1). Ritus divinarum precum, & sacrificiorum sequimur communes. Diù intra Italiae fines sese cohibuit nostra Congregatio; quod videbatur primorum parentum consilium: postea latiùs extensa; extra Europam quoque ad Apostolicas missiones; vel contra non vera Religione imbutos, si errore exsolvi possent; vel ad continendos in vera illis finitimos, sacrisque rudimentis instituendos, trajecta. Deus prohibeat, ut in laudibus nostrae Societatis celebrandis immorer militem agens gloriosum. Ostentatio id solum habet, ut vel juxta existimatio decidat. Raro enim enarrando aut non odiose deprimas, aut insolentiùs non jactes, juxta animi affectionem. Id commonere necesse, valdè parvum numero Ordinem esse; quod summa aequitate in comparationibus agitandis [futilia, vana studia; qui has diverberare nebulas gaudent; non ego] cum alijs Ordinibus multorum millium spectandum. Ab ortu ad hoc usque aevum trium millium admodûm Patrum, per temporum vera vices aegrè millium [credidisses ne?] Theatini sumus. Nonnullorum Coenobitarum tot sunt in amplis Urbibus, quot isti; in Provincia vero tota, quot illi. Verùm non modo Ordinis indoles ea jugiter fuit; sed & majorum nostrorum tradita posteris consilia semper firmum, ratumque id

(1) *Multam Historiam congessit de hujusmodi subsidijs Divinae Providentiae Magenius part. 1. libr. 2. cap. 9. num. 299. & insequentibus.*

id transmisere. Bernardinus Scottus noster doctrina, probitateque eximius Vir, et S. R. E. Card. Epistolam dedit Venetijs ad Patres in Comitia Generalia an. 1539. compulsos Romae hujus sententiae: *Fuimus frequenter admoniti a nonnullis praelatis, qui in Christo nos valde diligunt; quatuor esse nobis praecipue cavenda, & fugienda; ea sunt relaxatio morum, & disciplinae: multitudo Professorum: mulierum familiaritas, vel cura: terrenarum rerum copia, vel certa possessio.* Atque in fine, percursis oratione singulis. *Amplectamur paucitatem, ne forte multiplicando minuamur; videlicet ne ob multitudinem in laxoriem vitam incidamus. Consoletur vos interim ille, qui, ait, nolite timere pusillus Grex: vereamurque Isaiam dicentem: multiplicasti gentem, & non magnificasti laetitiam. Perit enim facillimè vigor disciplinae in magno numero . . . . dabam Venetijs 12. Febr. an. 1539. Bernardinus Scottus Presbyter* [1]. Conveniunt, quae Carafa ad J. B. Silvagum Patritium Januensem Epistola significavit an. 1533. -- *In quanto al numero, ora siamo 21. perchè il Signore non ci ha dato gran desiderio di crescere in numero. Anzi temiamo, che il numero non porti seco i soliti incommodi, ed inconvenienti, i quali vediamo dove è il gran numero* [2]. Praecipuum Ordo tenet, ut inde initia, & novam formam Clericorum Regularium in commune degentium, Christianae rei utilissimam, alij plures coeperint; quamvis institutum censibus carendi non sectati. Singulare quoque, quod Divinorum Mysteriorum usum non parùm remissum, aut alicubi deficientem restituerit, & Templorum cultum nitidiorem instaurarit; sem-

(1) *Apud A. Caracciol. in notis ad Constitution. C. R. pag. 183.*
[2] *Extat apud Ant. Caracciolum in Vita Pauli libr. 2. cap. 10.*

semper studiosè ; quae ad Deum, divosque pertinent in delubris, elegantiam maximè, & venerationem, sollicitè urgens: in quae impensas ita Ordinis natura effundere solemus, ut in vitae, victusque necessarijs multum detrimenti domi accipiamus. Tum conatus intendunt Nostri in pravos hominum mores exagitandos & concionibus, & ministerio exaudiendi Christianorum confessiones: quibus duobus officijs toti devoti. At vero quamvis litterarum studijs idcirco aliquid temporis interdum deteratur [defetiscuntur humanae vires non pares multis unâ praestandis ; & praeclaris propositis vel idonea selecta adjumenta prona casibus obsistunt] nihilò minus non modo omnibus studiorum generibus, quibus ceteri Ordines, operam navamus, easdemque perficimus exercitationes ; verùm & foris quoque disciplinas aliquatenus nostri solent edocere. In Collegijs Sacrorum Antistitum Juventutem Philosophicis, Theologisque litteris erudimus ; Incoepteque hac ferme tempestate sunt pariter doctrinae à nobis in publicis Accademijs publicè tradi. Felix id, beneque ominatum, Immortalem Deum precor, fiet. Vix enim, quantum publici ornamenti addat Ordini, & quantum proinde majus, quod possit, meritum illi reddatur, credi potest. Enimvero & insigne benefactum apud Rempublicam collocatur, cum labor omnis in Juvenum Institutione, acceptissima Deo cura, versetur; & ingenij, doctrinaeque incrementa praecipua adsequitur docens ; quod communi Sodalitatis bono maxime conducens. Quidquid enim perspicaciae, ac sollertiae in disciplinis opera danda ; & quidquid expletae scientiae earum inesse potest, profecto in publicas Accademias contrahitur. Commercium autem cum Doctoribus optima ingeniorum cotis. Huic muneri se dedere non omittant nostri ; qui cetera persolvant non deerunt. Coenobitae negotijs activae vitae distineri non prohibiti,

Pro-

Professores hosce habent universi. Rogo, quaesoque Patres nostros, ut felicibus coeptis ore, verbis, sed & re ipsa annuant; atque novam tantam claritatem Sodalitati subinde accedere percupiendo, ne hac gravissima parte reliquis illa concedat, connitantur. Neque deterreant restriores litterae instaurationis, vel exquisitae novae studiorum rationes in ijs ipsis Accademijs a decore postulatae; non enim plane in Ordine desiderantur: Nosque [procul jactantia dicto] ex' bene primis in nostris adolescentibus per multos annos erudiendis illas adtulimus. Haec raptim dicta; ut Theatina familia non gloriationis tibijs prolata, possideat tacitè, uti ille cecinit, si quae sunt munera divûm. Ceteroquin Ordinis Historiam non conscribimus. Furiosus vero essem, si parvam Congregationem cum alijs viginti millium, aut viginti quatuor, & amplius millium committere meditarer: inania commenta. Sed tristiori Tisiphone percitus fuit Joh. Rhoius, dum in quodam libro (1) [foetu mehercle cerebri furore immani correpti, insanoque, nescio quo, hominis genio effervescentis; noverint quidem sapientissimi, atque honestissimi Patres Societatis Jesu, quem dixerim librum: cui ab alijs nominibus faciendis animi moderationem professus generosè superfedi: eos ipsosmet aequissimos viros Judices in tàm immodica cûm rebus, tûm verbis scriptione volo, arcessoque: liceatque mihi, iram, non quanta tamen siccum Rhoi arsit jecur, exhalare] dum, inquam, in eo libro post illatas in adversarium Castaldum nostrum, ejusque coetum contumelias, & maledicta abunde illiberalia, schema quoque nondum acerrimis intentis fatiatus telis, objicere sub oculos tandem voluit (2), ubi catalo-

(1) *Interrogationes Apologeticae contra J. B. Castaldum.*
[2] *Ibid. Interrogation.* 13.

logus rerum ad Theatinorum, & Societatis Jesu Ordines comparatos, ac è regione positos pertinentium, distinguitur parallelis lineis interjectis; quò progressionum, & incrementorum differentiae pernoscantur. O pulcrum facinus, o vere honesta laus, o praeclara victoria! à viginti, & pluribus contra unum [haec enim ipsissima eadem ratio est] reportata. Egregio triumpho sublimi mente quaesito Rhoi animi apùd Acheruntem insilentur. Quis unquam, ut cum Ordine Societatis Jesu noster certare posit, sibi stulte arrogavit; cum Legione Centuria. Id id satis erit; id Rhojum ad ejusmodi parallelas acies abhorrendas rectissimè impulisset. Caracciolus in dissertatione contra Payvam vix centum esse nos an. 1574. in Ordine toto scribit. Rhoius in egregijs Tabulis ad. ann. 1556. „ Moritur Ignatius Fundator Vir Sanctissimus, re-„ linquit CIↃ socios in XII. Provincias, & in C domicilis „ distributos. Theatini ne miracula perpetrare; ut ex nihilo aliquid excutiant? Lacessitum se causatur ille a Castaldo, qui dicacitatis stili, & despectionis Illustrissimae Societatis insimulatur (1). O Jobea, o Pacomiana patientia mihi adsis; & in ima pectoris usque ingerare! Nempe Castaldus ità acerbe scripsit [sed ne acerbe quidem], ea usus est in suis exponendis fellea orationis asperitate; Societatis Jesu existimationem vel cri offendit; aut quidpiam ei male dixit, ut justam Rhoio scribenti praebuerit caussam in protervos illos modos incurrendi? Falsissima omnia: dumtaxat de majori, vel minori perfectione Ordinis Coenobitarum ob publica nuncupata vota immutabilia is aliquando verba facit (2). Quid hoc cum vesana tabula illa, & tam violenta in nostrum Or-

[1] *Ibid. eadem interrogatione.* (2) *In Pacifico certamine Animadversione* 10.

Ordinem facta impressione? Exstant libri evulgati; publici juris redditi: perlegantur. Facta verborum auras exsufflant: nugas, & gerras res ipsa dispergit, conficitque: magnum Numen veritatis deceptiones solis stultis, & fanaticè devotis imponentes omnino prosternit. Veritatem ingenuè profiteor, numquam potuisse me, homo vero tam mei impotens non sum quidem, librum Rhoi vel percurrere, ut bilis non ferveret, rabie corda non exaestuarent: & continentiam mihi, animique firmitatem imperabam constantem, propositi tenax injurias ejusmodi Ordinis mei floccipendere. De contentis in Libro partes nostrae non sunt ullae dicere. Ab aliquo uno ex Societate Jesu aut librum, aut certè Rhoium, quem ab illa haec prodens segrego plane, ac sepono, ita superbe sese efferentem probari, nunquam animum inducam meum, ut credam. Longo intervallo absimilem scribendi rationem de re eadem sibi proposuit Sacchinius historicus Soc. Jesu; qui de illa honestissimè disputavit (2). Verùm verò aliò adspectum à feralibus his monimentis aversemur; ne etiam quasi filio infectam necati parentis sanguine tunicam commonstrare, sive maximùm exclamare [quod apage sis] videamur; *Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, Qui face Rhojanum, ferroque sequare libellum*. Commonebo denique exoptari multum à nobis, ut A. Caraccioli disputatio contra Payvam de nostra vita Activa perlegeretur; cum nil luculentius proponi possit ad eam Theatinis asserendam [risum herculè cient, qui Theatinos unius vitae contemplativae crediderint, aut esse contendere vellent]. Locus opportunus à Novarinij Li-

K bris

(1) *Disputatione praefixa Historiae S. Je. Orlandini: cujus editionem, & secundam partem Historiae confecit Sacchinius.*

bris praesto dabitur: eôque maximè quia docta incude confictum opus. Ad Tienem modo regredimur. Annus erat J. C. 1524. Cajetani vero quadragesimus quartus. Primae aedes Romae novae Congregationi fuerunt in exiguo loco Campi Martij dono acceptae a Bonifatio Collio (1), cum bona dimisit, uti dictum est, daturus ei nomen: & brevi octo Ordini adlecti; quos inter Bernardinus Scottus (2) Sacra Romana Purpura postea exornatus. Ibi parvũ Templũ illicò exaedificatũ fuit: & Patres licet divinis exercitationibus domi intenti; tamen rem Christianam valdè promovere: potissimùm ipso tempore Anni Sancti 1525. qui proximè successit; quo publicè concionari, confessiones affluentium excipere, advenas pijs monitis confirmare, atque excitare, eosque; & cives Sacris Institutionibus erudire, multa frequentia semper stipati (3). Sed maximè in conciones intenti: cum abs illis non modo plane desuefactos Sacri Ministri sese ostenderent; verùm & probro ferè ministerium duceretur (4). Magis omnibus cuncta peregit Tienes: aegrotorumque communes aedes adire & si periculis luis, alijsve omnis generis ob illuviem tantã scatentes, minimè formidabat. (5). Eô processit hujusmodi vivendi ratio; ut urbis reverentiam multam sibi nova Familia conciliaret, conversis ad se omnium oculis; atque, A. Ca-

(1) *A. Caracc. in Vita Tienis Collectaneorum.* (2) *Silosius Histor. Cl. R. p. 1. Lib. 3.* [3] *A. Caracc. in Vita Tienis Collectaneorum: & fusiùs in Vita Pauli IV. lib. 2. cap. 3. Bzovius ad an. 1524. Eliocl. lib. 2. §. 2. 3. & 5. Castaldus in pacifico certamine pag. 105. Silosius Histor. Cler. Regular. c. 95. ab ann 1524. & cap 3. & 4.* [4] *Ghislerius in commentar. paraeneticis in praeladia Sacr. Doctrinae cap. ultimo.* [5] *A. Caracc. in Vita Tienis Collectaneor.*

A. Caraccioli testimonio, digito quoque in vijs designarentur (1). Eadem de caussa Ant. Cardinalis Carafa de Cajetano, primisque ijs Patribus dictitabat, quod de divinis Apostolis dixit Lucas: *ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis, sed magnificabat eos Populus* [2]. Inde factum, ut & Christianis spectatae probitatis cognomina Theatinorum, aut etiam Chietinorum inderentur (3); & qui anteâ maledicta in Ordinem inclementiùs conjecerant, devicti è sententia, decederent: quidam animo etiam profligati [4]. Constituerunt deinde probi viri sacras missiones & in Urbe, & ruri producere, inter se illas partiti; tum publico bono salutis Christianae Gentis, cûm etiam, quantumquidem suis viribus parva schola eniti posset, ut verae Religionis caussam contra percrebrescentes adversarias sectas orarent (5). Intereâ, incoeptis Deo favente, nova germina invalescebant. Atque hoc anno prolabente, & alio ineunte communia Ordinis Instituta, uti diximus, efformari incepta (6). An. 1526. à Campo Martio in montem Pincium familia commigravit; ubi Gibertius, cujus largitionibus tota ali tunc, substinerique dici poterat, eis admodum pauperem compararat domum, officiosor semper in illos Patres, inque Ordinem Universum, quamdiù vixit. Tum ijs ipsis initijs studia Sacrarum Litterarum, & ceremoniarum exerceri apud nostras coepta: & prima posita principia (7).

 Hoc

(1) *Vita Pauli IV. lib. 2. cap. 3. cui adde testimonia omnia numeri 3. pag. 74.* (2) *Caracc. Vita Pauli IV. ibid.* [3] *Ibid. Caracciolus in Vita Tienis Collectaneorum.* [4] *A. Caracc. Vita Pauli IV. ibid* [5] *Bernardus Champius Moulinius in Vita D. Cajet. Gallica lib. 2. cap. 4* [6] *Argotus in Vita D. Cajet. lib. 2. cap. 8.* [7] *Caracc. in Vita Pauli IV. lib. 2. cap. 13.*

Hoc ipso anno Patricij Veneti Rectores Nosocomij Incurabiliũ actione, & Decreto publico Carafani, & Tienẽ *Protectores*, *Defensores*, & *Conservatores* illius enunciarunt, in monimentum gestorum pro loci bono; quae supra enarravimus sub annum 1520; utque sub imperio ejus omnia essent, jusserunt. Undè controversia ibidem indicata definiri juxta nostram sententiam videtur. Decretum est. *Anno Domini* 1526. *Quoniam ita a naturâ comparatum est, ut res omnes, quorum consilio, & imitatione initium habuere, eorumdem favore, & protectione maximè gaudeant, augeantur, & conserventur, hancque fortunam valdè recipiant res illae, quae divinis usibus, aut ministerijs addictae per bonos, & vere Christianos homines sanctissima accepere adjumenta; eapropter, nos Gubernatores Hospitalis Pauperum Ulceratorum Incurabilium Domini Nostri J. Christi Venetiarum, perspectam, & benè cognitam habentes probitatem, humanitatemque RR. in Christo PP. Jo. Petri Carafae Episcopi Theatini, & Cajetani de Thienaeis Clericorum Regularium ad praesens in Romanâ Curiâ commorantium, quorum operâ, integritate, doctrinâ, & exemplo ad Christi opera fuimus provocati, nos subindè commonentium miseris, & valetudinarijs pauperibus non deesse; quō tum nostra, tum aliena devotio per antedictos RR. PP. Apostolorum vices in terris gerentes inflammentur, pro comperto habentes, obsequium istud, quod in D. N. J. Ch. non minùs reverenter, quam fideliter exercemus, nedum protectionis tutelam perpetuam, verùm etiam alacris ejusdem, & sanctae defensionis suscepturum dignitatem, ob illustre tam Christianorum, ac Sanctissimorum Patrum electorum patrocinium, eamque protectionem augendae fidelium hujus Urbis pietati mirum in modum fore profecturam; spontè, & omni meliori modo, quo possumus, & efficacius valere potest, elegimus, fecimus, & solemniter constituimus, ac vi-*

vigore hujus praesentis publici instrumenti eligimus, facimus, & constituimus nostros, & praefati hospitalis, ac in eo degentium, Procuratores, Defensores, Conservatores, & Prorectores principales, & speciales, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec è contra &c. cum plenissima potestate, & libertate praedictum Hospitale, & illius jura, & bona tuendi, & augendi &c. & quaecumque negotia in Romanâ Curiâ pertractanda; omnia alia, & singula &c. facienda &c. procuranda &c. (1). Parvum templum in aedibus M. Pincij statuerunt Divae Mariae Dei Genitrici (2). Eo in loco Cajetanum, & Carafam convenerunt Ludovicus, & Raphael Fori Sempronij Cives Ord. D. Francisci, molitores primi novi coetus Cappuccinorum, cum Matthaeo Basciensi ejusdem Ord. D. Francisci, ob eam caussam Romam adeuntes. Consultarunt ij cum duobus Theatinis de novo opere vix inchoato; atque non modo ad capessendam alacriter Provinciam, recteque procurandam incitàtur; verùm etiam ope Carafae, cujus in dies auctoritas Romae exaugebatur, aditum ad Sum. Pontificem cùm gratia, & benevolentia, commendationem praeclari inventi, & Decretum ratum faciens Ordinem adsequuti sunt (3). Parcè sanè, & duriter se habebant Patres, multa inopia divexati: constantes jugiter in proposito susceptae pauperiei. Sententia Caraccioli adferenda est; ut etiam perspicias, ultro eam vitam, non cogente praecepto, ab ipsis agi; quod supra

---

[1] *Rota Romana titulo de Caritate in praxi. Decretum verò exstat in Tabulario Nosocomij pag. 31. acto primo: & efformatum fuit die 26. Februar. ann. 1526.* [2] *Maggius in novem sermonibus de D. Cajetano ser. 3. & A Caracc. in Vita Collectaneorum.* [3] *Boverius Annalib. Cappuccin. Elsoclerus lib. 2. §. 8.*

pra dicebamus. *Eam*, ait, [domum Campi Martij] *inhabitarunt nostri fermè biennium in summa omnium egestate, illud scilicet apostolicum Institutum religiosè servantes, ut nullos census possiderent, nihil à quoquam peterent; siquid ultrô deferretur, id solum cum gratiarum actione reciperent. Placuit Patribus, & Cajetano in primis, paupertatis amantissimo, eo modo vitam instituere: ac facto potiùs, exemploque, quàm lege, aut praecepto praeire posteris; maxime cum probe scirent, Christum Dominum, ejusque Apostolos, hoc est primevae Ecclesiae Clericos, eadem et ipsos ratione vixisse. Tuti igitur tanto exemplo patres, vitam ejusmodi nulla adacti praeceptione, sed pro libitu ineunt; eò magis admirandam, quò rarior per id tempus virtus vel in Clericis visebatur.* Haec ille in vita Tienis. Idem in Monte Pincio evenit, & alibi. Sed etsi nefarij momi adversûs novũ hominũ genus omninô protriti, uti monuimus; alij usque theoninis convitijs carpentes non deerant; qui insectarentur (1). Verùm omnia frustrâ. In monte Pincio ipsa eadem religiosa officia erga populum praestare conabantur, haud secus ac in domo Martiana (praecipuè Tienes, qui in aegrotis ad omnia juvandis totus erat; maxime in novo Nosocomio excitato opere, & studio Carafae, atque Hectoris Vernaciae Genitoris B. Baptistae Genuensis [2]); intereàque nihil de pietatis cultu, & interioribus animi curis in domesticis secessibus remittebant. Ad an. 1527. Caesareus Exercitus Caroli V. Borbonio Duce, Urbem irrupit ad eam diripiendam. Omnia Romae agi, ferrique; cum efferata licentia militis non a divinis, non ab humanis abstineret: & dira pernicies Urbem omnia fere excisa spectantem

(1) *Ant. Caraeciolus in Vita Tienis Collectaneorum.* [2] *Ant. Caracciolus ibid.*

tem affecit. Borbonius agminū Imperator primis conflictationibus cecidit. In tanta rerum perturbatione quaquaversûs concursare Tienes, & Socij, quae poterant salutaria auxilia conferre, & animos R. Populo sufficere; ut etiam verbis, maximè Carafa, debacchantes turmas increparent, sceleſtiſſimique piaculi redarguerent. Gravi egeſtate familia, jam re anguſta domi, quantum in saeva calamitate, judicare sane poteris, premeretur. Et quidē Gibertius princeps subſtentator confeſtim in communi clade carcere detrusus, ubi diù mansit, spes omnes ademit humanas. Cum verô poſt multa in eodem semper haerere se limo pernoscerent; dum pro publico bono quid valerent experti forent, etiam contra tumultum, [neque enim facilè adversus ejusmodi torrentes niti] melius consilium sequi rati, domi à turbis secreti delituerunt, sacrificijs, aſsiduisque precationibus irato numini litaturi (1). Ibi, referente Rota Romana (2), unicus panis aliquando inter plures diſpertiebatur. Ecce militum Germanorum manus, uno ductore, qui antea famulus fuerat Tienis, eumque opum adhuc, & pecuniae locupletem judicabat, ad aedes Theatinorum, ubi abditum Cajetanum ille resciverat, affectant viam. Humilem casam invadunt, Patres adoriuntur, pecuniam flagitant. Primô communi magna tenuitate, & incolarum observando adſpectu concuſsi: tum conjectis vinculis in Sodales, Tienem unum compellant; ni quaesita promat, omnes contumelias, & saevam necem correpto jam manibus minitantur. Verûm, eo veritatem retegente, necessario tandem persuasi: sed furore, delusaque spe, immanes conſtrictiûs insontem virum religant, ac variè, crudeliterque torquent; omnium maximè insaeviente ne-

quis-

(1) *Ant. Caracciolus in Vita Tienis Collectaneorum.* (2) *In Vita D. Cajet.*

quiſsimo famulo. Tandem inter arcae operculum, & parietem eum comprimunt; ac dein, funibus per pudenda perductis, in aera primo ſublimè extollunt, poſtea ſurſum deorſum penſilem, ſenſu doloris omnium acerrimi, quatiunt. Cuncta ille infracto animo pertulit: neque hilum feram praedatorum rabiem compeſcere ſtuduit. Vix ex ea clade erepto Cajetano, & reſpirare incipientibus abingentu metu ſocijs; milites alij Hiſpani poſtremi quoque ordinis in domum impetum faciunt, eadem praedae opinione adlecti. Convenerant Noſtri omnes in Templum: quod tumultuario opere exornarant veluti in feſto die; ſimùl & in praecipua Ara Supremo Numine expoſito. Genubus flexis, divinas multas exercebant rogationes: & animos, vultuſque, ita ut impavidos feriant ruinae, componunt. Deprehendit alacres, pietatemque undique efflantes grex teterrimus, illorum: quare reverentia, horroreque conſiſtit: mox, priſtina excita ira, a morte quidem inferenda temperant: ſed unus tantis terriculis nil Viros percelli fremens, penſiles lychnos in capita ruit; alter Collium enſe, ſed lata parte, caedit. Is vero jactûs generis inſcius nil illum evadens, immotè, ſola cervice reclinata, ictum excepit omnino tanquam occubiturus. Terrores incutiuntur: & vincti, afflictati, omnibus probris tùm ludibrij, cùm dicteriorum acerbè habiti in carcerem ſtativorum ad D. Jacobi rapiuntur. Inde paullo poſt extracti in carcerem propè cubicula Centurionis Hiſpani ſupra horologium Vaticanarum aedium omnes compinguntur. Per vicos, & compita vexationibus probos viros inceſſere monſtroſa ferocitas non pepercit. Tradiderunt multi in alteras cuſtodias primis longè aſperiores, & multo paedore obſitas, decretaſque diutinas immiſſos eos fuiſſe; quandoquidem recordatione pravorum factorum, & cohortationibus ad poenitendum non ſine omni objurgatione, quas Tienes, Carafa, & ceteri effunde-

debant, accedebatque auri fames fraudata, molestia magna in militiam facientes ingereretur (1). Foedo in loco conclusi satis miserè vitam tollerarunt. Donec eodem anno iteratis precibus Tribuni Militum, qui convivio a Centurione invitatus, & secundùm custodias adstans, ubi convivium apparatum, Patres sacras preces ad Deum emittentes exaudierat, propterea que in illos squallore etiam sentos, ac venerandos spectatos misericordia, & observantia permoveri se senserat, è carceribus in libertatem producuntur (2). Domus M. Pincij in villa Medicea modo sita est. Quare Cosmus III. M. Dux Etruriae pietate insignis curavi Templum reparari; ubi quotannis Festum D. Cajetan agitur; & monumentum in marmore insculpi, hoc epigrammate: *An. D. M. D. XXVII. sedente Clement. Septimo Mediceo P. M. Hoc ipso in colle, & situ S. Cajetanus Clericorum Regularium fundator in Urbis direptione a Militibus crudelissime vexatus, ut pecuniam proderet, quam dudum in coelestes Thesauros manus Pauperum deportaverant, verbera, tormenta, & carceres invicta patientia substinuit. Cosmus III. M. Dux Etruriae sidi Dominus, ut memoriam loci, ubi sancti Viri virtus praeclare enituit, ad posteros propagaret, suamque in eum venerationem, ac in Theatinorum Ordinem voluntatem ediceret, monumentum hoc poni jussit: an. salutis M. D. CCIV.* Illustre testimonium saeva quidem Theatinam familiam, maximè Cajetanum, tulisse in calamitosis Urbis aerumnis, prodidit Card. Pompejus Colonna in Epistola ad Carolum V. Caesarem. *Sappia V. M. che tra le altre scelle-*

L *ra-*

---

[1] *A. Carace. in Vita Tienis Collectaneorum.* (2) *Scriptores omnes: Rota Romana: Decretum Consecrationis. A. Carace. in Vita Pauli IV. lib. 2. cap. 5. & in Vita Tienis Collectaneor.*

ratezze, che fecero gli Eretici, ardirono ancora imprigionare moltissimi Uomini Santi; tra quali vi fù il Conte Gaetano Tiene Fondatore de' Cherici Regolari; al quale fecero quegli empj inauditi strapazzi (1). Eodem anno post atrocem procellam montem Pincium deserere, & solum vertere deliberatum simul illis fuit statim post infortunij finem. Qua de re dimissi liberi rectà extemplo ad Tyberis ripam tendunt. Insperatam ibi pecuniam, commeatumque a quodam nobili acceperunt (2). Verùm nova imminent discrimina. Navigium enim Militum Romanorum quasi praesidium ea loca lustrans ipsos hostes habitos invadit. Sed unus ex Patribus cognitus Ducis consanguineus reliquis attulit incolumitatem. Quapropter incursum evaserunt, & benignis officijs donum largi viatici receperunt. Ad Ostia Tyberina ducti Augustinum Amulium in portu compererunt Praefectum Classis, qua Venetias vehendus erat Legatus Reipublicae apud Summum Pontificem Dominicus Venierius, crudeles terras aufugiens, in queis & suos pertulerat adversos casus. Ab Amulio afflicta familia (duodecim erant) comiter habita secum Venetias, quò soluturus erat, adire compellitur; non respuente Carafa, quem penes regimen aliorum. Quidam censuerunt voluisse initio Patres Venetias contendere suo consilio, non invitatu tractos Amulij: alij non ab Amulio solùm, sed & à Venierio pariter honorificè detentos [3] renuisse semper vel ad Legati, vel ad Amulij mensam, licet multis pellectos ire, paupere victu in

(1) *Fortius in Vita D. Cajet. totam Epistolam adfert. Argonis advertent. prev. pag. 25. Magenius in Vita D. Cajet. p. 1. libr. 3. cap. 3. §. 4.* (2) *Magenius in Vita Tienis part. 1. lib. 3. cap. 3. n. 375.* (3) *Elioclet. lib. 2. 29.*

in itinere jugiter usos (1). Fuerunt & qui discordarunt magis, Ariminum primo parvis navigijs delatos Venierium, & Amulium enarrantes, indeq: Triremibus Venetis trajecisse Venetias (2). Castaldus in vita D. Cajetani (3) in Ostijs Tyberinis a Venierio exceptos Patres Ariminum fuisse ductos, refert, ubi erat Amulius. Hieronymus Maggius in Ostijs Tyberinis compertum Amulium tradidit, in vita D. Cajetani non edita; qua multùm usus est A. Caracciolus. At vero Historiae A. Caracioli in vita Pauli (4) planè nos inhaesimus; qui de his nihil subtexuit. Venetias in stationem fidissimam sese recipere duxit Carafa, libertate dubijs temporibus aequè tutam; quamvis Patria Neapolis propinquior foret. Verùm Urbs turbis multis ob ingentem vim Militum Germanorum, & Hispanorum nondum Romam decedentium adhuc laborabat. Praeterea pestilentiae quaedam prima semina ibi prodire dicebantur (5). Primò novi Coenobitae Venetijs a Senatore Amulio, laudes, fructusque Ordinis divulgante, commendati etiam, atque etiam Senatui, exiguas aedes ad D. Euphemiam tenuerunt: deinde alias propè D. Gregorium, vel D. Georgium; ubi, absoluto Triennio Carafae, cuncta suffragia in Cajetanum Praepositum familiae renunciandum lata 18. Kalend. Octob. an 1527. (6) Mox quaedam Sodalitas D. Nicolaj Tolentinatis, latius domicilium quaeritante Tiene (7), fanum cum aedibus

 con-

(1) *Idem ibid.* (2) *Argotus in Vita D. Cajet. Advertenc. prev. pag. 27. & lib. 2. cap. 10. a'festque Testimonia Elioclev. & quae ibi produntur Card. Tarugij, & Musci C R. in Vita non edita D. Cajet.* (3) *Cap. 4.* (4) *Lib. 2. cap. 5.* (5) *A. Caracc. in Vita Pauli, ibid.* [6] *Argot. in Vita D. Cajet. lib. 2. cap. 11. A. Caracc. Vita Pauli IV. libr. 2. cap. 6.* [7] *A. Caracc. in Vita Tienis Collectaneorum.*

continentibus, opibus quoque adjectis, quibus domus construeretur, concessit: & nostri possessionem 3. Kalend. Octob. eodem anno 1527. inierunt (1). Illico novus Praepositus res Sacras, & Templi nitorem sedulò promovere coepit; iisque omnibus exercitationibus cum subjecto Sodalitio occupari, quae maxime in instituta sui Ordinis convenirent. Intereà solitudinis prae sibi studium tulerunt; ubi ministerium fineret; non modo frequentias locorum, sed etiam familiaritates quaspiam cavendo. Haec voluntatem Patriciorum compararunt eis magnam. Atque partim hoc vivendi more, partim quod opera multa in peccatoribus accipiendis, & civibus in christianis operibus regendis praestaretur [quo in munere labores ingentes toto vitae tempore substinuit Tienes] à quibusdam *Eremitae Tolentinates*, ab alijs *Apostoli* nuncupabantur. Praescripsit tùm Cajetanus suis, ut librũ quatuor Evangeliorum semper secum gestarent; quod ipse efficiebat; & disciplina inter nostros aliquandiù valuit. Liber vero Evangeliorum ejus in domo nostra Neapolitana D. Pauli Majoris asservatur. Consuetudinem quoque intulit, ut nostri in primis adloquutionibus, vel etiam cum solum primo sese contuerentur, dicerent, *Benedictus Deus*, quod simile est cum *Deo Gratias*. An. 1528. dira caritas in universam Italiam, potissimum in Galliam Cisalpinam obrepsit. Hinc miselli homines per oppida, & Civitates dispalare, ut fami prospicerent. Venetias turmatim confluebant, vestituque, habituque corporis horridi: atque impurissimo torrente popelli fame, macieque modo non perempti exundarunt brevi quilibus vicus, & tecta. Tantus numerus coactus est, ut in ea Urbe, veluti & in reliquis, ex communi immunditia infamis pestilentia concre-

[1] *Argotus ibid. A. Caracc. ibid.*

creverit; quae teterrimè irruens in regiones quidem frequentissimas. Verùm & vastationem, penuriaeque malum longè minus Venetijs, quàm alicubi saevijsse, ferunt (1). Non paucis hujusmodi indigentibus quota die aliquid sufficiebatur à Tiene; admirantibus cunctis ergâ advenas largitorem, qui in non parva erat alimentorum difficultate. Ampliù, sindici supplicationes curavit ad omen avertendum: & populum noctuque diuque, non adminicula solùm, uti diximus, in pauperes impendendo; verùm & sermonibus, monitis, quacumque poterat opera, adjuvabat; sordidorum pariter, seu peste jam absumptorum, non periculo absterritus, aut laboribus fractus curam capessebat (2). Neque tacendum, ceteros Patres profligatae plebi, cujus cujus infimi censûs, praesto quoque auxilio fuisse (3). Haec ad benignitatem, & officia Cajetani erga miseros in depopulatione, quantacunque fuit, famis, & pestis Venetae spectant. Liceat, quaeso, subnectere, facile cuique esse, malorum hujusmodi commiscerescere; admodùm verò paucos ea Christiana virtute praestare, ut discriminis, & adflictationum contemptores in luis contagium sese introferant, opem ministraturi. Ejus laudis rara praemia supra ceteros Coenobitas, jure merito Theatinis debentur; qui varijs harum cladium temporibus, & potissimum in Italia, atque annis 1576. Patavij; 1577. Mediolani; 1579. Januae;

---

(1) *A. Caracc. in Vita Tienis Collectaneorum.* [2] *Decretum Consecrationis. Rota Romana in Cajetan. Vita: Silosius Histor. C. R. part. 3. lib. 3. Hilarius Caves in Vita D. Cajetan. cap 9. Fr. Maggius in Vita Josephi Caraccioli cap. 15. Tiepolius Patriarcha Venetus in Libro* Ira Dei. *A Caracciolus in Vita Tienis Collectaneorum. Gravina O. Praedic. In voce Turturis p. 2. cap. 29.* [3] *Auctores omnes numeri 2. aliique.*

mae ; 1630. Venetijs , & alibi quaquaversus ; alijsque temporibus Patavij , Vicentiae , Veronae , Bergomi , Parmae , Placentiae , Mutinae, Januae , Florentiae , Romae ; anno vero 1656. Neapoli , quae terribilis pestilentia ; argumenta tantae christianae caritatis, nunquam non alijs antesignani, prodiderunt quâ magna , quâ luculenta : verè enim in gestis pro hisce casibus multû inesse solet, aut vani rumoris, aut solius orationis. Neapolitanae Civitatis Magistratus petens ab Alexand. VII. P. M. ut decerni Urbis Patronum B. Cajetanum concederet , haec rettulit , ubi illius operas in pestibus praestitas pro gente Christianorum enarrasset. *Cajetani animi ea haereditas in filios promanavit ; ut nostra haec sola Civitas in postremae pestilentiae* [dicti anni 1656.] *excidio centum , & triginta Virûm doctrina , probitate , & generis claritate praeclarorum Capita Theatinis Patribus debeat ; qui nunquam defatigati in conferendo aegrotis sacra mysteria , quibus destituti erant , & in subveniendo peste laborantibus , sociorum caede nil perterrebantur ; verùm peremptis ministris novos identidem substituentes ita eximios se se in religioso facinore gerere voluerunt , ut Theatinum unum semper loco , ubi contaminati lue detinebantur , addictum constituerint , usque ad dimissionem , extincto planè morbo, postremorum famulorum.* Haec petitionis sententia. Boni praesidis munera strenuò obibat Tienes, alijs validissimo integritatis, vitaeque probitatis exemplo praecurrens , servansque ipse cûm primis instituta , & a suis id exposcens. Commendatur valde a scriptoribus ob facilitatem , non autem semper arctum jus rejicientem , nunquam vero consilium. Ad ea tempora illud evenisse Venetijs intelleximus [1] ; cum Cajetanus mutuos nummos à quodam

[1] *Rota Romana in Vita Cajet. Eliseler. lib. 3. §. 3.*

dam Patricio ad reficiendum murum aedium labefcentem accepiſſet, & iſte quodam die citò reddi ſibi quàm inſolenter efflagitaſſet, nulla temporis dilatione, neque in perendinum data; certam horam tum fidenter deſtinaſſe ſolutionis in alteram diem perplexum Praepoſitum, quamvis omnis pecuniae expertem; atque eâdem propemodum hora, adſtante creditore, quadraginta aureos illi ab homine, quis eſſet ignoranti, ac demiranti fuiſſe delatos, queis debitum ſolveret: ut ſtatim odioſus flagitator reſipiſcens non nummos ſumpſerit, & alia ſubinde Patribus impertierit. Erat tùm Venetiis homo quidam Graecus, qui non modo de vera Religione prava opinabatur, verùm & magnus erat pietatis ſimulator; qua parte populo imponens multos in retia ſubdole rapiebat. Reſcivit id Tienes, & amicos, eoſque, qui in morum diſciplina ſe utebantur, praemonere, ne incauti ſeducerentur. Cùm egreſſus aliquandò ſummo mane domo forte fortuna occurrit Graeco; quem tantùm notum ultrò amice compellat; ac miti adlocutione detinens, fallaciaſque opinionum, ceteraque delicta aperiens nil indignatum redarguit. Valdè antea obſtinatus Graeculus devinci coepit: [maximae in eo certamine poteſtatis ſuaviloquentia, & humanitas]: atque animo aliquantùm mollitum tradidit mox Carafae, ut inſtitueretur, & opus abſolveretur: ille ex viro ſpecie tenûs antea probo os, habitumque omnium admiratione, in noſtra domo induit poenitentis (1). Multùm tunc prudentia, & monitis juvit Hieronymum Mianium, ſeu Emilianium ad Congregationem Somaſcorum condendam. Magis vero utebatur Emilianius Carafa: & Bonifacium

Col-

[1] *Epiſtola ejuſdem Tienis, quae exſtat in actis pro ejus Conſecratione concinnatis Neapoli pag.* 74.

Collium misit Veronam, unâ cum aliis septem, ut Theatinam Coloniam, poscente Gibertio, eô deduceret. Contenderat jam à Carafa iste in custodia asservatus Romae, ut Veronam ire vellet in negocia Pontificatûs quicquam collaturus; quod praestitit ille. Verùm non diu post eripuit se e carceribus Gibertius, ingeniosa astutia circumventis noctu militibus, auxilium, & gratiam exhibente Cardinali Pomp. Colonna. Ubi advenit Gibertius, decessit paullô post Veronâ Carafa (1): & missus deinde Collius cum Sociis: quibus opem non exiguam ferebat Antistites; aedesque D. Mariae Nazarenae adscripsit; in queis Collius primum sacrificium peregit in Festo omnium Sanctorum an. 1528. (2). Verùm longiùs tum procedere commoratio non potuit, re pene infecta; cûm Bononiam substentator Gibertius abiisset, ut Pontifici M. in ceremonia imponendi capiti Carolo V. Caesaream Coronam deserviret (3); & nova familia magna inopia acriter premeretur. *Non debbo lasciar di dire* [A. Caracciolus ait in vita Pauli] *Che il Carafa, e gli altri PP. mentre dimorarono in Verona nelle stanze di Nazzaret, patirono molti disagi nel vitto, per l'osservanza del loro poverissimo Istituto di non tenere entrate, nè di chiedere elemosine, siccome abbiamo detto lungamente nella Vita di S. Gaetano. Un P. Capuccino assai vecchio, chiamato Fr. Giovanni Veronese, raccontò al P. D. Ignazio di Aloysi, che egli era stato figliuolo spirituale del Vescovo Teatino, quando fù a Verona; e che esso lo fè fare Religioso Capuccino; e che a questo erano mandate limosine da un Gentiluomo. Con. Girolamo de' Giusti, il quale fù colui, che*

---

[1] *Silosius Histor. C. R. part.* 1. *lib.* 3. *pag* 89. 91. 92. *Magen. in Vita D Cajet. p.* 1. *l.b.* 3. *n.* 403. [2] *Caracc. in Vita Pauli lib.* 2. *cap.* 6. (3) *Magenius ibid. num.* 405.

che il Carnovale gli portò 14. ova, ed il formaggio; delle quali fà menzione il Prato nella sua Relazione, à proposito di narrare l' estrema povertà, che patirono i nostri Padri, in quel luogo: e che vi era un' armadio, dove questo Gentiluomo, quando gli piaceva da sua posta, metteva l' elemosine; e che i Padri di volta in volta aprivano l' armadio, e quando vi ritrovavano delle cose, se le spartivano in commune, cum gratiarum actione, come mandate da Dio; e quando nò; tolleravano con pazienza, sostentandosi coll' erbe dell' orto: come nella vita del S. P. Gaetano si è narrato (1). Hoc anno Venetijs Theatinis adlectus fuit vir praeclarus Joh. Marinonius, Canonicatu D. Marci se abdicato (2). An. 1529. Tienes, & Carafa litteras a Sum. Pontifice acceperunt Romae datas 12. Kalend. Februar. 1529. incipientes. „ Exponi nobis nuper fecistis quod postquam aliàs vobis . . . (3); in quibus de emendatione agitur Libri Divini Officij; quam jam dudum Romae ij instituerant. Id enim maximae curae fuit; quando ea tempestate Sacrorum Rituum usus pravus servaretur. Immo valde hi negligebantur: praefatusque liber confertus mendis, atque indecoris formis multis castigatione opus habebat: neque unus erat omnibus; sed licentia invaluerat, ut qui luberet magis, adhiberetur: quae libera potestas non parum offecerat. Cum turpe esset; & convenientissima quibusvis actibus Religionis unitas laederetur. Hocce studium in nostro Ordine superstes fuit: & laudibus semper celebra-

M bitur,

[1] *In Vita Pauli lib. 2. cap. 6. Silos. Histor. C. R. libr. 3. pag. 93.* [2] *Silosius. Histor. C.R. tom. 1. lib. 3. pag. 93.* (3) *Exstant Litterae in Vita Pauli IV. libr. 2. cap. 7. A. Caraccioli.*

bitur noster Andreas Pescara Castaldus ob ejusmodi scientiam in suo Libro Ceremoniarum prolatam. Historia vera est. Cum Clemens non semel a Carafa ad provehendam hujus Libri expolitionem interpellatus, ab illo accepisset Bononiae, quô data opera Venetijs ad Pontificem adiverat, commentarios emendationis a Scotto, Tiene, & Carafa [majorem vero operam impenderat Carafa] quondam adornatos; de qua modo loquebamur; litteras Romae eis dedit; quibus, ut facere pergant, edicit; ac anno pertentando rem explicent, confecto operi postremam manum imposituri. Id ipsi maturè expedire, expungentes multa, pluraque interpolantes; quô tandem liber omnibus ferè notis extersus consisteret (1). Verùm tunc emendatio locum non habuit. Tempore Sacrosan. Concilij Tridentini aeedem instaurationes iterùm agitatae fuerunt: & jussu Concilij, ac Summ. Pontificis Pij IV. misit Tridentum noster Scottus ipsa eadem scripta; quae sumere Patres, veluti quidam tradiderunt, evulgareque publicè definierant (non autem id planè compertum, existimo); certum est, diligentias aliorū peritorū ab illis adjectas fuisse; quod Pius V. aeque fecit. Sed cum finem omnino habiturum esset Concilium, negotium Pio IV. S. Pont. mandant: Hoc è vivis sublato, Pius V. qui successit, cuncta explevit. Perdurante vero tempore Concilij, Carafa Papa Paulus IV. eamdem Provinciam ceperat. At absoluta, perfectaque verè res fuit a Pio V. A quo & novus Codex Divini Officij editus, & ejus usus imperatus. Post Pium novae expurgationes iteratae. Sed curae Pauli, quae certo nostrorum Patrum, & Carafae Theatini studia comple-

[1] *A. Caracciolus in Vita Pauli ibid.*

plectebantur, non praetermissae in posterioribus correctionibus fuerunt. Haec enim scripta sunt in Decr. Pij V. praeposito ante Officium Divinum: *Hanc orandi varietatem gravissimè ferens fel. mem. Papa Paulus IV. emendare constituerat. Itaque provisione adhibita, ne ulla in posterum novi Breviarij licentia permitteretur, totam rationem dicendi, ac Psallendi horas Canonicas ad pristinum morem, & institutum redigendam suscepit. Sed eo postea nondum ijs, quae egregiè inchoaverat, perfectis, de vita decedente, cum à piae memoriae Pio Papa IV. Tridentinum Concilium antea variè intermissum revocatum esset, Patres in illa salutari reformatione ab eodem Concilio constituta, Breviarium ex ipsius Pauli Papae ratione restituere cogitarunt. Itaque quidquid ab eo in sacro opere collectum, elaboratumque fuerat, Concilij Patribus Tridentum a praedicto Pio Papa missum est. Ubi, cum doctis quibusdam, & pijs viris a Concilio datum esset negotium; ut ad reliquam cogitationem Breviarij quoque curam adjungerent, instante jam conclusione Concilii, tota res ad auctoritatem, judiciumque Romani Pontificis ex Decreto ejusdem Concilij relata est, qui illis ipsis Patribus ad id munus delectis, Romam vocatis, nonnullisque in Urbe idoneis viris ad eum numerum adjunctis, rem perficiendam curavit. Verùm eo etiam viam universae carnis ingresso, nos, ita divina disponente Clementia, licet immerito ad Apostolatus apicem assumpti, cum sacrum opus, adhibitis etiam ad illud alijs peritis viris, maximè urgeremus, magna in nos Dei benignitate (sic enim accipimus) Romanum hoc Breviarium vidimus absolutum.* Scio equidem haec ad Carafam magis referri; tamen non ita separantur ab historia Tienis, ut silentio praeterierim; de illo enim dicitur in Decreto Consecrationis; *Quorum quidem rerum [cultus divini nitoris, & sacrorum rituum exactae observantiae] peculia-*

re studium suis demandavit: & ejusdem Clem. VII. praedecessoris jussu Breviarij Romani reformationem una cum praefato tum in minoribus constituto Joanne Petro Carafa Sodali suo aggressus est, quae postea novis curis absoluta in Romano Breviario vulgata est. Antea potestatem idem Clemens jam Tieni, & socijs studio rectorum sacrorum rituum maximoperè addictis fecerat in Decreto concessionis Ordinis, ut immutare, adjicere, demereque in hujusmodi ritibus liceret, quod videbatur rectius. Neque solum in Clementinis litteris de emendatione Officij Divini peragitur, sed & de Officio parvo B. Mariae Virginis, & de Missali Romano [1]. Igitur in jis primô potestas Patribus recitationis Divini Officij, aliarumque sacrarum precum, & usus dictorum, ac precum in sacrificio juxtà emendationem ab ipsismet paratam conceditur, ut explorent, anni tempore; idcircoque ne necessitate adigerentur usûs Rituũ Romanorum. Item levantur ji onere quotidianae recitationis Officij B. M. Virginis: atque etiam exsolvuntur consuetudine quotidie faciendi sacrum, aliorumque Officiorum Divinorum recitandorum per eundem annum, uti dicitur in fine; postulantibus ipsis, ut impendio magis operi vacarent. Sed & alijs litteris ejusdem Sum. Pontificis anno primo Pontificatûs datis (2) emendationes eae, permissusque librorum sacrarum precum immutatorum nostris Patribus praebitus continebantur. Et idemmet P. M. Bononiae idibus Martijs ann. 1533. alijs ejusmodi privilegijs Tieneam Familiam impertivit (3); queis recitationi Divini Officij subtrahebantur,

---

[1] *Uti in litteris ipsismet legitur.* (2) *Quod dicitur in ijsdem litteris Clementis* [3] *Hae litterae incipiunt:* Dudum pro parte vestra nobis exposito: *In Bullar. tom.* 1. *edition. Luxemburg.*

tur: & novae propriae formae absolvendi peccatis concedebantur. Ipsas easdem castigationes à Carafa, & ceteris confectas noster Goldwellius Antistes Epistolâ Tridenti data 9. Kal. Septemb. an. 1562. petijt à Cardinali Tranensi, qui est noster Scottus [1]. Litterae autem Clementis an. 1529. ante memoratae, quas A. Caracciolus in vita Pauli non publicè edita lib. 2. cap. 7. refert; sunt.

CLEMENS PAPA VII.

VENERABILI FRATRI JOHAN. PETRO CARAFAE, EPISCOPO THEATINO, ET DILECTISSIMIS FILIIS CAJETANO PRESBYTERO VICENTINO, AC EORUM SOCIIS, ET SUCCESSORIBUS CLERICIS REGULARIBUS NUNCUPATIS.

VEnerabilis Frater, & dilecti Filij Salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, quòd postquam aliàs vobis Clericalem, & exemplarem vitam sub emissione trium votorum substantialium in habitu Clericali ducere, ac in communi, & de communi vivere cupientibus, id inter cetera, nec non aliquas super Missis, & alijs Divinis Officijs celebrandis ordinationes, & constitutiones, dummodo licitas, & honestas, & rationabiles, ac bonis moribus, & sacris canonibus non contrarias faciendi, & secundum illas easdem Missas, & Officia recitandi, & celebrandi concessimus; prout in alijs nostris sub Annulo Piscatoris litteris desuper sub die 24. Junij Pontificatûs nostri Anno primo confectis pleniûs contine-

(1) *Epistola exstat in Tablino nostrae domûs D. Pauli Neap. Silosius Hist. C. R. lib. 3, pag. 97.*

tinetur; vos religionis, & Divini cultus honore, ac fervore succensi, Missas, & Divina Officia, quibus nunc Sancta Romana Ecclesia utitur, ad certum modum, ut quidem vobis videtur, decentiorem, Sanctorumque Patrum, & Sacrorum Canonum statutis convenientiorem, magisque aptum profectui celebrantium, & devotioni audientium excogitastis, quem componere desideratis, Nobis, & Sedi Apostolicae postea offerendum, ut ex illius inspectione, an publico Ecclesiarum usui tradendus sit, decernere possimus. Verùm sicut eadem vestra expositio subiungebat, quia non facilè ad compositionis hujusmodi effectum, & complementum devenire posse speratis, nisi per ipsiusmodi continuam per aliquod tempus tractationem, & officiorum a vobis compositorum recitationem, ex qua & usu ipso multa a vobis videri, & animadverti, & animadversa corrigi, & mutari possent; cupitis propterea, ut experientiam ducem, & Magistram habeatis, Missas, & alia Divina Officia hujusmodi juxta modum a vobis repertum, & in Choris, & Ecclesiis vestris celebrare, & recitare. Quare pro parte vestrâ nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis id faciendi licentiam ad annum concedere, vosque interim sic recitantes, & celebrantes, a celebratione, & recitatione Missarum, & Officiorum Divinorum juxta consuetum S. R. E. morem facienda, ac a recitatione Officii B. Mariae Virginis, etiam per vos compositi, attenta occupatione vestra, & longiori Officio interim a vobis celebrando, absolvere, aliasque desuper vobis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur in te precipuè, Frater Episcope, sperantes, & confidentes, quòd pro tua doctrina, prudentia, & pietate, nihil nisi pium, & canonicum, laudeque, & professione vestra dignum in hoc ages, agique a tuis fines, vobis omnibus, & singulis vestrum dumtaxat, ut Missas, & Divina Officia juxta novum modum per vos ex-

cogi-

cogitatum, & componendum, in Choris, & Ecclesijs vestris per annum dumtaxat a data praesentium computandum, celebrare, & recitare ad Dei laudem libere, & licite valeatis: interimque ad celebrationem, recitationemque Missarum, & Officiorum hujusmodi juxta consuetum Romanae Ecclesiae morem faciendam minime teneamini; nec Officium B. Virginis etiam per vos compositum per dictum annum recitare ex praecepto obligemini; sed ab omni alio onere aliter celebrandarum Missarum, & recitandorum Officiorum per dictum annum tantum prorsus exempti, liberi, & absoluti esse censeamini, Auctoritate Apostolica, tenore praesentium, concedimus, & indulgemus: ac vobiscum super quovis voto, obligatione, & professione per vos factis, ad effectum praesentium dispensamus. Volumus autem, vobisque in virtute sanctae obedientiae inhibemus, ne dictum modum per vos componendum alicui alteri utendum, & legendum tradatis, antequam ille per vos ad Nos missus, a nobis, & ab hac Sancta Sede fuerit canonice approbatus. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, coeterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 21. Januarij 1529. Pontificatus nostri Anno sexto.

Blosius.

An. 1530. Tienes munere Praepositi abivit, electo Carafa secundò; & petijt Veronam, ab amico Gibertio arcessitus, ut imperio, & obedientiae sacri Praesidis obnitentem turbolenter populum submittere studeret; qui omni genere perditorum morum in universa Italica pernicie fluens, neque prorsus incorrupta Religione, quod ijs diebus facillimum, acerbissime nova frena ferebat, respuebatque quasi insueta. Paruit Cajetanus; & navibus, atque quadrigis

drigis eniti, ut animos compesceret. Bis pertransiens Vicentiâ [Venetias enim revertit post non longum tempus] suos, aut paternam domum semper praeterijt, & in aegrotantium habitationem divertit (1). Venetijs sanctiorem in dies vitam vivere conspiciebatur; & multa commodorum erga Christianum populum plena acriùs prosequi: tuncque cognomen habere coepit *Venatoris Animarum* (2): potissimùm jugiter aegrotantes invisere: quam consuetudinem verè per totam vitam servavit. Scripserunt quidam Paulum Justinianium se se comitem cum Tiene, & Sodalibus junxisse, dum mari in hanc Urbem pergebant post direptionem Borbonicam. At Fiorius in recenti vita Justinianij valde accurata commorari jàm Romae in aedibus M. Pincij unâ cûm nostris illum tempore cladis, & omnes ferè eosdem casus subijsse, asseverat: & quidem jam antea amicitia inter eos intercedebat. Atque haec acta, donec Neapoli abivit Tienes post sexenniũ confectum Venetijs; quando illuc a Romana vastatione concesserat. Nam advecti sunt Venetias 16. Kal. Quintiles an. 1527. (3); & decessit inde Cajetanus 4. nonas sextiles an. 1533. (4) quod, exigua mora Veronae non putata, sex annos, & amplius cõprehendit. Ad ea tempora an. 1532. Petrus Foscarenius Venetijs Theatino Ordini se adscripsit, Episcopatu Bajocensi rejecto, omnium admiratione. Ejus creditur foetus Liber de vita Contemplativa adscripta Sollerio [5].

LI.

[1] *Magen. in Vita D Cajet. p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 418. (2) *Pepes in Vita D. Cajet. libr.* 1. *cap.* 6. (3) *Magenius ibid. cap.* 6. *n.* 379. [4] *Magen. ibid. cap.* 11. *n.* 429. (5) *Silosius Hist. C. R. lib.* 4. *pag.* 147.

LIBER TERTIUS.

NEapolitana Civitas lata regio fuit illustrium gestorum Tienis. Ibi Vir egregius, Splendor virtutis praeclara supra quàm alibi gessit. Et multum eorum, quae Neapoli a Cajetano patrata fuerunt, parùm actorum alibi diu elucebat. Hinc Vicentiae dicitur natus Civitati Neapoli: nosterque ordo in hac Urbe semper potentissimus; & Viris sanctitate vitae, ac doctrina singulariter omni tempore vigens. Impensè exoptabant Partenopei cives (1), Ordinis maximè Patriciorum, Theatinos Patres fama jam efflorescentes, pluribus illos habere connisi. Verùm initio omnia irrita fuerunt: & incassum multi popularem suum Carafam, Maria quoque Soror, flagitare per litteras institerunt, ut eos mitteret. Orator ferè ad id ivit Venetias Seripandius Augustinianus, postea Cardinalis [2]. Denique Benedictus Tizzonius Fundanus in religiosum recessum

(1) *Articuli, & positiones Consecrat. pag. 7. noster Historicus part. 7. libr. 7. pag. 255.* [2] *Maggius in novem sermon. de D. Cajet. ser. 1. cap. 2.*

ſum ex hominum multitudine ſe recipere animo agitans; idcircoque aedes quaſdam propè Templum D. Mariae Miſericordiae extra portam D. Januarii Neapoli ſibi ſtruere incipiens, ſocioſque multos jam eô compellens, animi adhuc vehementer pendebat, quodnam vitae genus magis cooptaret. Deliberat ideo digredi Venetias ad Theatinos, inſtituta, normamque videndi intellecturus: & conſilium Joh. Ant. Caracciolo Pagi, qui Oppidum dicebatur, dynaſtae manifeſtat; cùm jam antea probè noviſſet feceſſionem Caracciolus; quinimmo multum opis tuliſſet, & incoeptas aedes aere abſolutas ſuo inhabitandas tribuiſſet. Sed Venetijs Tizzonius votis ſuis illiò fecit ſatis. Nam omnium oblitus Theatino Ordini liberè nomen dedit (1). Re cognita Caracciolus, pietati valdè addictus vir, qui Theatinos in Patria imprimis expetiverat, illis ardentiori multò deſiderio inhiavit; & ſeriô longe magis quàm antea de negotio cum publico Patriciorum Magiſtratu agere coepit: qui tandem litteras ſingulorū chirographo ſubſcriptas miſit communi nomine ad Carafam, quibus Ordo prece multa depoſcebatur (2): & forſitan Epiſtola cōmendata Tizzonio fuit, iſque alias litteras de re hac Venetias, cum fervebat opus, iteratò effectis poſtulationibus Neapolitanorū, attulerit, non verò a dicto Magiſtratu conſcriptas [3]; uti quidam putarunt; erat enim jam ijs diebus inter noſtros: & à Patriciis in Epiſtola fuit ſeorſum petitus; data quidem 4. nonas Octobris an. 1532. Ait illa:

Cum

(1) *A. Caracciol in Vita Tienis Collectaneorum. Silosius lib. 5. pag.* 151. [2] *Scriptores omnes: & refertur in Litteris S. Pontific. de re eadem; de quibus dicetur.* [3] *Thom. Caracciolus in Elioctero. Sed haec vera Historia est Tizzonij, juxta ceteros scriptores; potiſſimum noſtrum Historicorum in deſignato loco, & A. Caracciolum in Vita Tienis Collectaneorum.*

Cum Tizzonio; quem nuper spectatae quidem probitatis, virum inter vos excepistis, adlegare huc libeat saltem duos: succedentque mox alij, Deo dante. Tantae petitioni, eximioque decori, eòque magis quod adjecit & suas litteras Pontifex Clemens (quod etiam Neapolitani studuerant) resistere ampliùs Patres respuerunt, Gibertius à Clemente veniam impetrarat, rogantibus nostris, qua in eam Urbem ipsis adire liceret. Verùm Pontifex jussum quoque per litteras scriptas Bononiae 3. id. Februar. an. 1533. dedit, ut irent, ubi exhortationes exposuisset: rataque Ordini fecit in Urbe Neapolitana privilegia universa obtenta, quaeque in posterum tribuerentur (1). Igitur Tienem, & Johan. Marinonium integritate vitae clarum mittit Neapolim domi praeses Carafa; qui fertur facultatem fecisse Cajetano optionis comitis; sed ille plane abnuisse, ac Deum orasse, ut socius obtingeret, qui ab ingenio suo magis diffidens morem sibi non ita facile gereret (2). Abeunt Venetiis quarto nonas sextiles ann. J.C. 1533. Tienis verò quinquagesimi tertii; tenui sumpto viatico, Romae cum Gibertio paulisper morati, qui admissionem ad Summum Pontificem eis quaesivit, Neapolim pertenderunt, Ibi primo à dynasta Caracciolo multa comitate liberaliter excepti aedes ad D. Mariae Misericordiae dono habuerunt; omnibusque necessariis satis bene instructi, & uberibus alimentis identidem sustentati. Scriptores loquuti sunt de solis aedibus à Caracciolo in potestate habitis, non de proximo Templo D.M. Misericordiae. Verùm aut illud quoque ad illius ditio-

 nem

(1) *Extant litterae in Vita Tienis Collectan. A. Caraccioli.* (2) *Articuli, & positiones postremo notatae. Castaldus in Vita Marinonii Libri de vitis 50. nostrorum Virorum Illustrium lib. 2. §. 54.*

nem aliquo pacto pertinebat; aut comparavit is facras aedes advenis Sacerdotibus. Templum equidem idipfum noftri tenuere, ubi facris minifteriis defungebantur. Nuntiavit illicò Carafae aufpicata principia Tienes; feque confequentia primos fucceffus relatura confidere. Laetitiam multam coepit ille; follicitum enim cautum hominem eventus habuerat; res Urbis noftrae Lautreci obfidione, aliifque aerumnis non parum allifas fcientem. Profectò Patriae obfecrationes plurimae, potiffimùm Sororis Mariae, quam deamabat, & magni faciebat, nolentem ad miffionem aegrè perpulerunt. Statim auxilia is mifit fex alios noftros, eodem anno; quos inter, Petrum Veronenfem, nondum Ordinis votis obftrictum, in utroque Jure, & Graeca lingua doctum, morumque probitate praeditum, qui Parifiis, & in Gallia tota enituerat (1): folemnia autem vota nuncupavit Februario anni fequentis die Fefto DD. Fauftini, & Jovitae; Praepofito domus Cajetano: qui menfe Septembri anni, in quo fumus cum Hiftoria, Decreto comitiorũ Venetiis actorum, praefectus fuerat familiae Neapolitanae. Non aequo animo ferebat Dynafta Oppidanus incertos cenfus Theatinorum; quare Tienem, ut firmos cõftitui pateretur, multis argumentis incitabat: idemque multi ex coenobitis fuadere. Verumverò pro viribus contra decertavit ille tot incurfionibus neutiquam expugnatus, permultae enim fuerunt, & variis è locis excitae; conftanter fe, fuofque folis fortuitis bonis uti reddendo, juxta Ordinis inftituta; & quidquid temerè fuppeditaretur, in lucro deputatum iri. Nil remittebat Dynafta, atque inter alia, multum intereffe inter Venetias, & Neapolim,

(1) *A. Caracciol. in Vita Tien. Collectan.*

lim, pluribus inurgebat; ubi victu longè sumptuosiori vivebatur à Nobilibus, luxusque cujusvis generis latè patebant; quamobrem subsidia parciora, neque crebra expectanda. Cuncta nihili pendere se, præcipuè nimiam sumptuum effusionem Neapolitanorum, interpellat Tienes: *Nam si Venetiae à Neapoli differunt*; *Deus*, dixit, *Neapolis nil distat à Deo Venetiarum* (1). Sed victas manus Caracciolus nil cedens minus desistebat: & vim pecuniae non paucam pollicebatur foenori dandam. At omnia inaniter processerunt: admiratione patricij, & aliorum ingenti, ob insuetum agendi morem Coenobitarum. Donec Nostri, ut obstinata sententia severi Benefactoris eriperentur, & quod distantia aedium D. M. Misericordiae ab Urbe praecipua officia morabatur curae salutis populorum, quò vires omnes contenderant, domicilium deseruerunt 9. Kalend. April. an. 1534. omnibus Caracciolo redditis, præter curtam quandam supellectilem secum religiosi viri munere eductam. Nam gravatus is initio discessione; dein virtutis alacritatem solam, uti par erat, demiratus nil è veteri obsequio in Patres abscessit; & minimam rem petitam cum stupore remisit. Casûs novitatem Neapolitani Cives omnes oppidò suspicere: Theatinusque Ordo aliquo nomine, sed non magno, in Urbe inolescebat (2); cum ob memoratam caussam à piorum laborum negocijs, quibus meritò inclarescerent, absuissent operarij. Erant Neapoli Matronae duae summo loco natae, plurima familiaritate conjunctae, quae vias perfectioris virtutis Christianae fervidè insistebant Maria Laurentia Longa, conjux Joh. Longi Jure Consulti,

(1) *Rota Romana in ejus vita*. *Dontiero in vita* D. *Cajet. lib.* 1. *cap.* 2. (2) *A. Caracc. in Vita Tienis Collectanea.*

sulti, ac Ferdinandi Catholici a supplicibus libellis, & Maria Ayerba Termoli Domina e Regio sanguine procreata. In Nosocomio Incurabilium habitabant, quò secesserant, ut abjectam vitam ab arctiori Christiana disciplina imperatam tutiùs sectarentur; simulque opera caritatis erga aegrotos praestarent. Sed Longa primas agebat, & publico loco cum imperio praeerat. Utraque sibi Cajetanum vitae Rectorem delegerat. Cum hae audivissent destitutam ab eo domum Misericordianam, alias aedes nostris suae commorationi continentes, aut vicinas curarunt a Longa locatas. Incoluerunt eas aliquandiu ille, & sodales, non paucis ibi bono aegrotantium, & ceterorum Christianorum adlatis: ac plurimo studio res Templi D. Mariae Populi dicati procurare, quod ad Nosocomium pertinebat: praecipuè Sacerdotum ministerio illius addictorum & mores, & usus cerimoniarum ad multò meliorem locum revocarunt. His actis perspectiores in dies notas Neapolitano Populo Tienes exhibebat tum innocentiae vitae, atque studii erga aeternam Civium salutem, cùm amoris maximi erga eorum Patriam: quae duae res non modò principia exsurgebant pignorum voluntatis ejus in nostram Civitatem, verùm & virtutis existimationem, laudisque meritam opinionem de Theatino nomine jam tum in animis Neapolitanorum, prima veluti semina, unde semper praeclara germina, uti initio diximus, creta, condebant. Sed non diu pariter has aedes nostri tenuere: quae angustae reddebantur, increscente familia: & incommoda quoque producta habitatio consore Longae putabatur. Hinc post quatuor circiter mensium moram aliò commigrant in quasdam domos non inde dissitas, a duabus nobilibus matronis, aliisque Theatini coetûs providis amatoribus coëmptas (1), ubi Cajetanus extemplo

(1) *Magen. in Vita D. Cajet. par. 1. lib. 3. cap. 12.*

plo aggressus est novum parvum Fanum ponere nuncupatum D. Mariae Stallettae; cum propè stabulum, quod *Stalla* Itali dicimus, situm foret aedificium (1). Tum Theatinum nomen latiùs in Urbe diffundi. Et illud accidit in hac domu; ut cuidam nostro ex servitijs, nomine, uti nunnulli crediderunt, Simonis, male crus confringeretur clathris interceptum. Cubans is plurimas supplices preces unâ cum Cajetano quadam nocte fundebat D. Francisco ejus auxilium multo fletu implorans. Nam mane crus tetro ulcere inflammatum, jamque omnino vitiari incipiens resecandum erat; quod hominem mœrore, & animi perturbatione profligarat maxima. Inde Cajetanus tristem vicem valdè commiserans, eum, quem antea monuerat, ut D. Francisci opem appellaret, non intermittebat incitare ad magis magisque a tanto Patrono calamitatem deprecandam: & manu sacrum signum Crucis, osculumque vulneri indidit. Plane consolidatum manè compertum Crus; atque ita integrè sanum, ut aequata prorsus in summo illisi membri parte, ne vestigium quidem fractionis extaret; omnesque deinde actus rectissime possent obiri (2). Rei memoria perstitit: nam alia creduntur evenisse ibidem commemoratu digna. Verùm majores nostri nihilo secius quâm suus Parens, non curiosi in hisce non nihili habendis & nulla exquisiere, & cuncta neglexerunt; fortasse eâdem quoque caussa, qua vir sanctissimus, permoti. Damnosam hanc incuriam jam praefati sumus in operis proëmio, interatas de ea querelas A. Caraccioli ostensuri; cui sociare juvat alterius Caraccioli Caesaris Engenij haud absimiles sensus in

(1) *A. Caracciolus in Vita Tienis Collectaneorum.* (2) *Auctores nostri omnes: & Caesar Engen. Caracciolus in Neapoli Sacra pag.* 187.

in Neapoli sacra prodites [1]; ubi inquit sermonem habens de narrato eventu, *La fama di tanta gran maraviglia dura fin oggi tra' Padri Teatini, ancorche per altro non molto diligenti notatori de' loro gesti. Si narrano molti altri miracoli della Divina Providenza....* Sed Cajetanus sanè ab ingerenda rerum suarum in posteros memoria abhorrens alijs, & varijs officijs in salutem publicam animarum studebat. Id unicè cordi, & curae erat: quod in aedibus Stallettae tùm sedulò perficere; ubi potissimum Sacras Conciones cum reliquis è Conventu crebrô habebat: & munera, quibus antea animum adjecerat, eâdem sollertia omnia persolvebat. Priusquam aliò progrediamur, operae pretium reor litteras hûc transcribere, quas à Carafa accepit Longa his diebus, multa, quae dicimus, in illustri loco ponentes, & religiosae mulieris probitatem, itemque existimationem, quam de Tiene, & Matrimonio traxerat, patefacientes -- *Litterae tuae, Domina, satis virium habere potuissent ad nos hinc promovendos, ut istuc veniendo divinae voluntati per te nobis ostensae obsequeremur. Sed quoniam id equidem nunc praestare non potui; visum est ad Septembrem usque differre: & videre interim, an Deus mihi istuc veniendi vires & facultatem tribuat. Porrò de mea in hac re voluntate debes tu quidem esse extra omnem dubitationem, non solum ob Patriae meae beneficium, cui servire debeo, sed etiam ut tuo desiderio per nos satisfiat. Inde ortum est, ut, exigentibus id a nobis Urbis istius Rectoribus, coacti simus mittere fratres nostros Cajetanum, & Johannem, quos ab initio tuae potissimum fidei commisimus, tibique uni praecipuè commendavimus,* *nullâ*

(1) *In eodem loco.*

nulla aliorum amicorum, aut propinquorum facta mentione. Quapropter ex ea re cognoscere potuisti, quàm egregiè erga te affecti simus: & quàm fidenter in te una, Deo id nobis inspirante, spem babeamus. Ego vicissim apertissimè cognovi non frustra nos in te fidem collocasse: quia non excepisti jam dictos meos fratres ut homines missos ab hominibus, sed ut Angelos Sanctos a divino Numine delegatos: & pergis insuper fovere eos eximia caritate, nostrumque meritum, & opinionem longe superare. Itaque cum nihil ambigere debeas de meo in hac, atque in omni alia re, quam tibi gratam novero, prompto animo, illud solummodo est reliquum, ut assiduis orationibus a Deo impetretur lumen, quo divinam ejus voluntatem dispicere, atque exequi valeamus. Venetijs iv. nonas Majas. M. D. XXXIV. Ex A. Caracciolo eas sumpsimus (1). Et animadverte dominantem Joh. Petri stilum; qui quamvis Coenobita, tamen quod Carafae, & magnarum rerum viri erat, nihil ejecerat. Certiorem illum absentem faciebat semper de omnibus Tienes, & tunc familiae Neapolitanae moderator. Etenim verè Carafa inter ceteros imperabat. Inde noveris quoque, Longam, cum vidisset Collium Neapoli, quando illùc Venetijs anno 1530. jussu Tienis is venit auxilio adfuturus Mariae Carafae introire meditanti in Conventum D. Mariae Sapientiae, de qua re postea dicemus; & jam tum capta desiderio foret, ut sedem in Patria Theatinus Ordo locaret; ac praesertim adveniret Carafa, unam fuisse eorum, qui magis nostros Venetijs per litteras ad id stimulassent. Tres Conventus Sacrarum Mulierum excitati varijs temporibus Neapoli adjumenta Tienis obtinuerunt;

O runt;

(1) *In Vita Tienis Collectaneorum.*

runt [1]; qui etiam Matronis Longae, & Ayerbae, quarum administrabat moralia, duorum auctor exstitit, & suasor. Primum fuit Coenobium cognominatum Sapientia, claritate generis Virginum immorantium illustre: quod alijs duobus magis ad eum pertinuit. Maria Carafa [2] Germana Joh. Petri diu degerat Deo dicata in Conventu Dominicanarum D. Sebastiani Neapoli: inde cum ceteris in alium, qui dicitur Donna Romita, perrexit; ut periculis eximerentur insistentis propè aedes obsidionis, quam foederati contra Carolum V. Urbi, Lautreco Duce, circumjectam voluerant. Illic agens Maria jam secum pristinam faticescentem D. Sebastiani disciplinam reficere mente revolverat; cui Conventui primam juventam dederat. Igitur rem per litteras Fratri Venetijs manenti manifestat; & hic amico Cajetano familiae praeposito: etenim haec eo tempore accidebant anni. M. D. XXX. Mirum in modum gavisus commento Mariae Tienes Collium nutu, vel magis jussu Carafae Neapolim ad Mariam legavit: quod nuper indicabamus. A. Caracciolus in vita Tienis Collectaneorum nominat quoque Carafam cum Collio decedentem Neapolim. At reliqui de uno Collio dixerunt: quod fecit ipse idem in vita Pauli (3): etiamsi ibi omne negotium Carafae adscribat non Tieni. Interea opportunitas optima Mariae processit ex Conventu Donnae Romitae abeundi adcitae ab alijs Virginibus Ord. D. Francisci in Col-

[1] *Decretum Consecrationis: & Scriptores omnes, praeter A. Caracciolum, qui de solo Coenobio Sapientiae mentionem facit; & pauca indicat de Cappucinellis in Vita Tienis Collectaneorum.* [1] *Historiam universam tradit Maggius Vitâ Mariae Carafae: & Marchesius Diario Dominicano tom.* 1. (3) *Lib.* 2. *cap.* 7.

Collegium vocatum Sapientia, quod nomen subftitit. Nam Olivierius Carafa Sacer Purpureus Senator illud condendum curarat, ut, more Collegij Sapientiae, quod Romae eft, adolefcentes inopes, operam in unum coacti dare ibi poffent levibus, aut nullis impenfis in ftudia litterarum. Verùm morte praerepto Carafa, Conventus Sacrarum Virginum evafit. Profectò locus non procul à publica Accademiâ ftudiorum diftat. Cujus Accademiae aedificium incoepto amplum, & concinnum, tamen multo tempore, inverfo ufu, afflictum ftativo militum praefidio, neque abfolutū, fed inconditū, tandē noftra hac tempeftate primae origini redditū eft optimo confilio, & munificentia feliciter regnantis noftri Regis Caroli I. Borbonici; quem Deus O. M. cum faufto, beneque ominato Regno falvum, fofpitemque jugiter tueatur. Ad veterem fplendorem refurgens modò illud contuemur; atque etiam nova elegantiâ adauctum novimus, expectationeque inftructum, ut fapientiffimi Principis patrocinio intregram abfolutionem adfequatur. Igitur, Collio ductore, atque aufpice, Conclave Dominicanarum Virginum Maria in Sapientia ftatim poft ingreffum efformavit, inlata Ordinis mutatione, cum jam Summi Pontificis affenfio praeceffiffet. Severiffimas leges, normamque vivendi decretis illius Ordinis plane conformem invexit; confulens ita, licet alio in loco, vitio difciplinae D. Sebaftiani. Sed edocuerat omnia in propofitam cauffam Cajetanus Collium Venetijs: poft verô Neapoli curam Coenobij geffit Praefes, uti dicemus, totamque vitam perftitit, Mariam, & Socias, quibus illa ferè femper praefuit, regere. Ejus moderatoris opera, cum fuus Hiftoriae locus brevi revertetur, fcripto confignabimus. Hoc tempore interea, cum Neapolim veniffet duos annos, & amplius poftea quàm Maria novum Ordinem D. Dominici conftituiffet, ei confeftim adeffe coepit;

& Coenobio monita, ac praesidium ferendo, honesta instituta adjecit; ut ad virtutem magis incenderet fervide properantes. Inter alia ipse, & Maria legem puellis tunc praescripserunt obducendi faciem velo, cum viri cujusvis loci, & ordinis in aedes introirent: tum laminam ferream. clatris adplicandi, ut neutri adspicerentur; ac tandem ne è septis unquam pedem efferre fas esset; cum antea consuetudo quampiam exiguam caussam efficeret legitimam, qua in Civitatem prodiretur [1]. Imperata illi vivendi rationi maximè conferentia; sed. tunc temporis ante Sacrosan. Concilij Tridentin. sanctiones, novae constitutionis. Plurimi fecit Maria Cajetani dicta, ac decreta; quare sua manu conscripsit omnia: & commentarius servatur in Tablino Coenobij: incipitque: *A' dì 6. Marzo 1640. Memoriale degli ottimi consigli del P. D. Gaetano ad istanza nostra della Sapienza: e chi mai potrà porre bocca, o penna a tal santa dottrina?* (2). Alter Conventus fuit (3). Ordinis D. Francisci, vel si mavis D. Clarae, sed perseverae disciplinae Cappuccinorū, nominatus Neapoli Cappucinellarum. Longa prima harum Virginum parens, & Vexillifera. Litteras facultatis a S. P. Paulo III. ope Gibertij exoravit Tienes. Locus constructioni Coenobij adsignatus fuit in ijs ipsis aedibus D. Mariae Stallettae, ubi nostri manebant. Verùm in atrio Nosocomij sacrae innuptae quasdam parvas aedes primò tenuerunt. Inde postea an. 1539. in D. Mariae Stallettae commigrarunt, sed converso nomine in D. Mariam in Jerulem;

---

[1] *Maggius, & Marchesius ibid. haec tria referunt.* [2] *Maggius ibidem cap 8.* (3) *Boverius Annal. Cappucc. anno 1528: & Scriptores omnes. Fuse Elioclerus Vitâ D. Cajetan. libr. 2.*

lem; cui Templum, & aedes voluit Longa dicatas, memoriae gratia optati, atque excogitati itineris in pagis Palaestinae; sed hoc alio religioso opere immutati, u[illegible] Tienis. Insumpsit vitae genus nobilis, & pia Mulier longè arctius, quàm consueverint Cappuccini; victu, vestitu, jugibus mutuis exercitationibus religionis, & laboris manuum, ac cujuslibet conversationis cum externis interclusione. Omnia etiamnum opportunissimo exemplo inter sacros hujusmodi Conventus Civitatis Neapolitanae servantur. Administravit aliquandiu Tienes negocia animarum; donec cura Patribus Cappuccinis cesserit: & Decretum Pauli III. id praescribens ille idem per Carafam Sacra Purpura ornatum sponte ecin curavit obtinere (1). Tertium conflabat Grex foeminarum; quae publicè scortatae consilium mutare facti poenitentes vellent, ac portum quaererent, ubi incolumes, quod supererat vitae, postero saltem tempore exigerent [2]. Gloriam excogitati principijs Christianae Scholae convenientissimi Ayerba demeruit; cùm incitamenta Cajetani vitae Magistri non abessent. Conspexerat illa in Nosocomio celebritatem multam impurarum harum, quas venerea lues infecerat. Verùm putidae, si quando secunda dies sanitatis [quod ingens, & rarum] advenerat, defluere prono alveo iterum in veterem sentinam plurimùm cernebantur. Inde origo commiserationis Ayerbae in tantum humanae conditionis inquinamentum; indèque animus multas ea ratione a [illegible] ejusmodi belluarum avellendi. Tienes verò non parum operae cùm ijs principijs, tum deinde impendit, ut quas earum posset

[1] *Elioclerus ibid. §. 63.* (2) *Scriptores nostri omnes, maximè Elioclerus Vita D. Cajetan. lib. 2. §. 74.*

posset, exhortationibus confectas in piaculi locum compelleret. Ad illas adibat fero adspectu, cultuque corporis asperrimo, moerentem, torvumque praeseferens; atque atro nuntio horrendum luctum vitae ita in perpetuo scelere actae, proindeque citam poenitentiam, proclamans. Ædes evaedificatae fuere ad idem Nosocomium. Vocantur Italica lingua *Convertite:* & à P. Maximo permissum Cajetanus impetravit postulatione per Cardinalem Sanctorum quatuor Coronatorum exposita. Haec peracta sunt post ejus adventum in Neapolitanam Urbem ad annum M. D. XXXVI. Quo tempore nostram congregationem cum Carafa advocavit Venetijs Romam Paulus III. animos in Carafam intendens ad excelsa evehendi. Equum verò erat, ut Ordo Romae non modo natus, sed et primis incunabilis altus, sedem, cum adolevisset, ibi haberet. Verè enim solis Venetijs fixum domicilium tùm à nostris teneri dici poterat. Contulit se pariter Romam Cajetanus jussus à Carafa cum Foscarenio, & Mazzalorsio Clericis Regularibus: pararatque Carafa comitia quaedam Ordinis cogere; quò quinque Patrum comitatu venit: habitaruntque omnes in D. Mariae supra Minervam. Non diù post renunciatus Cardinalis Carafa: cum quo aegroto jacente erat Tienes, quando primus Cubiculariorum Sum. Pontif. nuntium, & insigne dignitatis adtulit: toto capite abnutavit is pyladeam amicitiam agitans, manibusque, corporeque concussus, ne assentiretur, futurorum quasi praesentiens (1): sed necessitatis telum casum propulsabat; & tristis inter mortalia horoscopus Carafae; ut litteris quoque

[1] *Panvinius in Vita Pauli IV. Silosius part. 1. libr. 5. Duodecim Auctores adferens.*

que proditum constet, renuntiasse ei Cajetanum, si dignitatem acciperet, altiùs conscensurum; attamen exitio consanguineorum (1); quorum fortasse mores, & ingenium perviderat. Exinde primas in Ordine semper egit Tienes: comitiaque qui Romam iverant, confecerunt; in quibus Foscarenius Praepositus D. Mariae Stallettae prolatus; cui conquerenti de novo munere, quod non tolerabile sibi videbatur, item humeris suis insuetum, reposuit Cajetanus. *Erit profectò tibi munus perfacile, si à tuis, ut in Domino ameris, curaveris.* Cajetano verò regimen Sapientiae mandarunt; rato jam, nostros praeesse coenobio. Qui Neapolim reversus adscitus fuit Sodalitati Alborum; ita dictae ob integumenta cuncta corporis candida, quibus induti Sacerdotes Sodalitij aequalissima similitudine planè ignoti, suo munere confirmandi ad Christianè moriendum capite damnatos perfunguntur. Illius gesta multa eo in loco relata leguntur in Tablino ad pietatis officia pertinentia: & Rector fuit Sodalitatis: quae primum auctorem habuit B. Jacobum Picenum ann. 1430. Penè vero intermortuam restituit ann. 1519. Joh. Petrus Carafa tùm Protonotarius Apostolicus, cum Hectore Vernaccia, & Callisto Placentino Or. Canonicorum Regularium. Cùm verò an. 1671. Festa Consecrationis Tienis peragerentur Neapoli, Sodalitas tributum tulit ceram libras pondo centum D. Cajetano in D. Pauli, pendere singulis annis recipiens (2). Praestabat legitimo munere in Sapientia, ut Virgines in dies magis in virtute proficerent: con-

[1] *Acta pro ejus Consecratione Vicentiae composita.* [2] *Acta pro Consecratione Mediolanensia, & Romana; quae referunt id expositum in Tablino Sodalitatis.*

concionibus in commune crebrò eas ad elatiora excitabat; & nulli rei privati, publicique boni unquam deerat. Cajetano successit Marinonius: persistuntque semper nostri per Decreta Summ. Pontificum Pauli III. Pauli IV. Pij V. Gregorij XIII. moderari illas folius Romani Pontificis auctoritati submissas; universa Conventus, quò adlegi non conceditur nisi puellis genere claris, regentes: Carafarumque gens in Coenobio potestate in primis, & numero pollens. Eadem benefacta conferre pergebat aedi Cappuccinarum inhabitantium etiamtum in Atrio Nosocomij. Hac de re animo destinarat linquere domicilium D. Mariae Stallettae, locum dare Virginibus cupiens; quae in angustias incremento familiae adducebantur; sicque gratam vicem Longae referre; aequè nostri, tempore procedente, in arctum cogebantur. Et aedes Longa ea lege dederat, ut si quando a Theatinis desererentur, in ditionē suam extemplò redirent (1). Equidem credo eo pacto, vel certe animo datas, cum jam, manentibus nostris Neapoli, sumpsissent initia Cappucinae, ut, quando Longae visum, resque, tempusque postulasset, inde nostri decederent, & locum sibi, suisque socijs virginibus concederet Tienes. Illuc vero ipsae adierunt an. 1539. ut dictum fuit. Ergo perarduum fiebat Tieni novos experiri benefactores: & tentamina non pauca inania cesserunt de certa sede usquam invenienda (2). Quare Neapoli prorsus digredi, clariori aethere alibi immortalem Deum sibi fulgescere sperans, tandem constituit. Novit id Regni Praeses Petrus Toletanus; & per Patres quoque intellexit, cum abituri, eum, ut vale dicerent, gratesque pro amplis offi-

[1] *A. Carac. in Vita Tienis Collectaneorum.* [2] *A. Caracciol. ibid.*

officijs erga familiam agerent, convenerunt. Consistere jubet visos: atque interea non sine aliqua potestatis actione Templum D. Pauli cum conjunctis aedibus nostro Ordini per Joh. Toisium Dynastam D. Valentini quaerit. Erat in Templo sedes parœciae, cujus Rector Scipio Tarracina: praeterea Sodalitas D. Pauli: utrumque difficiliorem efficiebat provinciam. At verò obstantia omnia pulsa, & abacta, favore amantissimi Toletani, & publici Magistratûs Civitatis; qui Romam (1) Joh. Baptistam Perezium ad Cardinales Carafas Neapolitanum, & Theatinum legavit, ut cum eis de re ageret; omnesque unà Tarracinae consensum, nomine communi Civitatis, pararent. Eô processit Toletani studium, ut verens, ne Cajetanus, quo celso erat vir animo, totus in Deo se respecturo, & nulli addictus loco, in sententia perstaret; binas litteras dederit ipsi, & Patribus è Vico, ubi rusticabatur, monens, ut eventum praestolarentur; neque de discessione quicquam cogitarent (2). Digna religioso Principe prudentia. Verè enim constat, à solo adspectu Coenobitarum per Civitatem [ut silentio hic cetera domi praestita pro publico bono divinis in rebus praeteream], potissimùm si prima tempora sint Ordinis, qualia nostri erant, peropportunam pietatis, & temperantiae recordationem in animos populorum infundi; dissolutisque morsum exciri conscientiae aut pravae religionis, aut malè factorum rabidissimum: qui magnam partem eà de caussà illos aufugiunt; atque omnibus eorum obtrectant. Veniam impertijt Carafa Neapolitanus Antistes, & locum Terracina. Ergo primô in solius Sacelli possessionem inierunt, quô Sodalitas cogeba-

P

[1] *A. Caracc. ibid. & Scriptores omnes.* [2] *A. Caracciol. ibid. & Scriptores omnes.*

gebatur: & non multo post translata sede paroeciae in D. Georgium templo potiti sunt cum domibus continentibus an. 1538. xiv. Kalen. Jun. (1). Augustum Templum, populique celebritate, ex quo Vero Deo fuit consecratum, perillustre. Nam Codex quidam Vaticanus, fanum fuisse Dioscurorum diserte docet; eversumque, & ex voto publico D. Paulo dicatum, cum an. J. C. D. CCIJC. Neapolitani, Carolo M. Rege, Saracenos illuc usque incursibus perrumpentes fuderunt ibidem loci, festo die Conversionis D. Pauli (2). Historiae investigationem mittimus modò alijs. Ornamenta, sumptuosaeque elegantiae in eo renident magna copia: neque unquam donariorum, & locupletum proventuum duae uberes scatebrae, cultus in D. Cajetanum Parentem, & in D. Andream Avellinum in Templo torpebunt. Paullo post possessionem vim inijci praetentatam in Templi immunitatem pro viribus arcere enisus est Cajetanus; quod tamen violatum reserari manè vetavit (3). Civium bonis commodiùs ibi prospexit nunquam laboribus prohibitus: & nostri adcurate sacras aedes procurare, piacularia sacra crebra facere, conciones habere, mysteria populo conferre; potissimum Divinorum Officiorum ritus, munditiemque Sacrorum sollerter obire. Plebis, & Patriciorum frequentia in illis multa; quorum plurimam vultus, habitusque corporis continentiam, observantiamque in incolas ministros munerum suorum vacationem nullam habentes, Scriptores unicè celebrant (4): atque tunc fe-

(1) *A Caracciol. in Vita Tienis Collectaneorum.* (2) *A. Caracciolus ibidem. Et Eugenius Caracciolus in Neapoli Sacra. pag.* 84. [3] *Argotus Vita D. Cajetan. Libr. 3. cap. 6. pag.* 244. [4] *Maximè A. Caracciolus in Vita Tienis Collectaneorum: & Pepius Vitâ D. Cajetan. lib. 2. cap.* 15.

ferunt, Tienem postliminiô morem revocasse, ut mulieres septo intercluderentur à viris, argumento obsequentium pudori (1). An. 1539. Cajetani 59. Tres Luteranae Scholae Sectatores impium bellum Neapoli contra Romanam Religionem intenderant, eô exitiosius, quô veneni decursus serpens occultior. Primus Johannes Valdesius Catalanus, qui ann. M. D. XXXV. Neapolim venerat, & duos alios Bernardinum Ochiniũ Senensem, & Petrum Martyrem Vermiglium Etruscum in sectam illexerat; ambos primô a Religione, postea, ut utroque claudicarent, ab Ordine Coenobitico desciscentes: deiñ & ipsi Principes ferè Sectarum exorti. Ochinius eloquentiae locuples Concionator, plurimique a multitudine habitus impetum publicis orationibus faciebat: Vermiglius doctarum linguarum valde callens Apost. Pauli Epistolas in D. Petri ad Aram Praeses Coenobij, detorquere ad suos perversos sensus Luteranos, magnificèque ex animi sententia turbare interpretando aggrediebatur: Valdesius cunctis vafris artibus perniciosa principia per Urbem disijcere. Ubi odorata id est sagax Tieneâ vis, exploratum quoque Marinonio, velis, & remis (2) tanto bello resistere vetus Religionis verae Semideus sustinuit. Sed, cum consequentium cladium fontem altè proterere cuperet, rem illico suo Cardinali Theatino per litteras pandit moventi eo ipso tempore apud Sum. Pontificem omnem rudentem, ut severius quaestionis Tribunal à temporũ indole expetitũ contra sanctiss. nostrae Religionis inimicos statueretur. Neapoli verô cum socijs industriûs is fallaces errores Valdesiano-

 rum

[1] *Magenius Vitâ D. Cajet. part. 1. libr 3. cap. 16.* [2] *Eugenius Caraciolus in Neapoli Sacra. Barbaranius Historia Ecclesiast. Vicentin. libr. 1. cap. 10. A. Caracciol. in Collectan. & Scriptores omnes.*

rum retegere satagebat; & amicos, notos, discipulos, omnesque, quibuscum consuetudo inerat, commonere, ne captiosis doctrinae sophismatibus à veritate seducerentur. Immo calliditatis vias aperiebat; ut periculum caventes, vel antea a malo dolo surriperentur: id foris, & domi, quà privatis, quà publicis sermonibus impavidus praestitit [1]. Profecto larvati hostes per Tienem, & Marinonium manifestati bella, & castra, re infecta, ab Urbe moverunt: jussuque Summ. Pontificis flammis absumpta scripta, & libelli, quorum nomina ad Cardinalem Theatinum detulerat Tienes [2]. Nova laudum decora Theatinae genti accesserunt. Et catervatim ad Paulinas aedes cõfluebant cives, ut benefactorẽ intuerentur, siquidem ei Servatori vulgo accepta nequitiae liberatio ferebatur. Multi quoque adibant, ut sinceris sacris litteris instituerentur. Etenim non omnes maligne sese fautores novitatis produxerant, aut fidem adhibuerant, sed partim quidem, pars vero supinè per inscitiam. Quidam in Templo pro publica salute accepta in Valdesiana acie prostrata nuncupata vota ritè solverunt (3). Non tamen offensione caruit in Urbe regia pugna contra milites Luteranos; nam nonnulli ab eorum partibus stabant: & defensatores aliqui maledictis etiam carpere Cajetanum; Theatinumque nomen, cum frenum morderent, lacerare. Verum nihil non flocci pendit, tergis inimicorum contentus Tienes (4). Quod autem mirari subit; Paulini Patres tunc magnopere in animo, ac ore optimatum, & tenuium habebantur; sanae normae vivendi inhaerentes, ut praeparco commercio uterentur; conspe-

(1) *Auctores modo dicti.* [2] *Iidem Auctores.* [3] *Iidem Auctores.* (4) *Elioeler. lib. 2. §. 77.*

ſpectumque etiam ſui per Urbem adferrent rariſſimum (1). Agendi genus Coenobitis opportuniſſimum; quod & tutamen ſit contra obloquutores, & reverentiae, ita enim hominum comparata eſt natura, acre hortamentum. Aliae produntur de Tiene memoriae, conſilia ejuſmodi adverſariorum noſtrae Religionis per Italiam latitantium adorto. Roſſius quidam Antiſtes Roſanenſis litteras Vicentiae ex varijs Italiae locis datas conſpexiſſe ſe affirmat, in quibus grates rependuntur Tieni, quòd populi monitis ejus praeverterunt periculo abs erroribus Luteranorum clanculum oberrantibus impendenti: vel quia hoſce hoſtes aliqua parte profligarit [2]. Sed ſingulares hiſtoriae incuriâ hominum diſperierunt. An. 1540. comitia Ordinis acta in aedibus D. Pauli: Cajetanus Praepoſitus eſt domui D. Nicolai Tolentinatis, Marinonius D. Pauli. Diſceſſit Cajetanus Neapoli hoc anno, maximè omnium moerente Maria Carafa; ſiquidem non modo plurimùm eum colebat; verùm & conſilijs, ductuque, quem magni faciebat, opus adhuc haberet; cum à Fratre virtutem viri addidiciſſet. *Inter meos fratres*, ad eam ſcripſerat Cardinalis Theatinus, *praecipuus eſt ille, quem in oculis fero, meus inquam Cajetanus. Deus ipſe novit, quàm difficile eum à me avelli paſſus fuerim. Spero autem fore, ut per Dei gratiam noſcas, quàm ſit bonus Chriſti ſervus, & quàm meritò illum ego diligam* (3). Venetijs petijt Veronam an. 1541. cum Joh. Antonio Prato Mediolanenſi, alijſque. Ibi veterum Officiorum majora ſigna à Gibertio recepit; nam tota familia ex ejus cibarijs quotidiè tractabatur. Sed cum certa lege domum ſingulis die-

(1) *A. Caracc. in Vita Tienis Collectaneorum.* (2) *Mogenius Vita D. Cajet. p. 1. lib. 3. cap. 17.* [3] *Eliocler. Vita D. Cajetan. §. 60.*

diebus illa mitterentur; enixe obsecrat Gibertium Tienes, ne facere pergat; sinatque violationem nullam praescriptis vitae institutis inferri: nil morem gerebat ille: donec, solum vertere cum reliquis omnibus minitato Cajetano, munificentiā paullū repressit. Post quae in vix cognitos in Urbe vis multa inopiae ingruit; ut non rarò pani sola legumina adjicerentur; quae delicijs, ovaque luxuriante cibo interdum ducebantur [1]. Mox remeavit Venetias, ubi Tolentinati domui praesidebat. Erat his diebus Venetijs Ochinius; & in Sanctorum Apostolorum tempore Quadragesimae concionabatur. Non hilum intermittebat veterator doctrina fallere, versutiloquae eloquentiae melle inescata. Contra non cessabat Tienes [2]: potissimùm, ubi non uni jucunditatem ejus facundiae implicitam erroribus, licet argutijs subdole personatam ostendisset, complures litteras Cardinali Theatino conscripsit. Interdixit Ochinio concionibus Legatus Pontificius, imperatis Româ missis post nuncios Tienis (3). Verùm favore optimatum, quos acutus homo retibus involverat, iterùm munus recepit. Donec, cum Romam iret à S. Pontifice accersitus, Vermiglium offendit Florentiae, qui ab ea profectione amicum deterruit. Quare miser Genevam secessit; & cum à vera Religione defecisset, sacrum etiam Ordinem, omni anchora rupta, deseruit: fama, abstinentiaque vitae, qua in suo Ordine summae quoque imperij praefuit, perinsignis ille Ochinius. Ecquis locus mortali infirmitati a ruina tutus, si manum omnipotens Deus non supponat? Ann. 1542. duo mirabilia de Tiene enarrantur, testimonio Prati C. R. qui ejus

---

[1] *A. Caracc. in Vita Tien Collectan.* [2] *Boverius Annal. Cappucc. ad an* 1542. *Elioel. Vitâ D. Cajet. libr.* 2. *cap.* 80. (3) *Iidem Auctores.*

ejus ductu tyrocinium perfecit, & diu cum illo vixit: ac commentariolum de gestis ejus scripsit (1). Morti proxima jacebat nobilis Veneta, inani à Medicis omni arte denunciata. Invisit eam Tienes: & celebrari ob miracula multa liquorem è Corpore D. Andreae Apostoli stillicidio perenni defluentem, significat; quem fiducia magna libet. Paruit aegra: continuo convalere coepit, integrae valetudini tandem restituta. Divinitus gestum opus non planè à virtute precum Cajetani, etsi primò D. Andreae roganti profectò assignandum, potes amovere, non paucis similibus exemplis: idemque fatebere de crure sanitati reddito, adhibita D. Francisci deprecatione; quod supra retulimus: idque & A. Caracciolus commonuit (2). Secundò, (3) Diaconū ex nostris amentia cepit. Quovis consilio destituti Medici jubent ex more Coelum immutari. Graviter ferebat Cajetanus, ne Sodalium numero imminuto, veluti opinantur quidam, duriùs communibus operis reliqui onerarentur. At vero quid adjumenti ab omni lumine mentis casso? Magis ne foris ludus efficeretur insanus: itàque joco, & contemptui recens Ordo subijceretur: vel quòd novae impensae molestiam parabant. Sed urgebant Medici, spe facta valetudinis. Cruciabatur non leviter familiae praepositus; & animo pendens: ceterique omnes angebantur. Cum ad consuetum perfugium adit ille: & fiducia in Deum incensus vehementissima totam noctem aliquando preces cum fletibus profundit. Summo manè è cubiculo erumpens universis alacriter nuntiat, *Laetemur, Fratres, sanitas Sodalis mihi à Domino Deo servata est: non Coelum, non aedes*

[1] *A. Caracc. in Vita Tienis Collectaneor.* [2] *A. Caracc. ibid.* (3) *A. Caracc. ibid.*

aedes immutare opus. Et nil de illo resciverat: qui eo ipso die intellectûs rectum usum reciperavit. Ingens id; & solius impetratoris Cajetani. Venetijs per Adriaticum trajecit in Regnum Neapolis ann. 1543. Paulinae domui Praepositus in comitijs actis Venetijs eo anno. Subita mare irruit atrox tempestas; quae ita saevire, ferâque procellâ fluctus jactare, ut adventaret periculum. Cum supplici precatione ad Deum lata projicit Agnum Dei in furentes undas: & confestim pacantur (1). Neapolim ingressus se statim contulit ad Templum in aedibus D. Pauli, grates pro incolumitate Deo relaturus. Quod cum obsequio, & affectu animi maximo praestaret, ecce Neapolitanorum turmae ad D. Paulum animis sese recreatos profitentes ob reditum ejus. Qui frequens Templum intuens concionem habuit derepente. Tum in consueta officia incumbere in Urbe studuit, adeundi aegrotos, adversis casibus adflictos solandi, rem christianam modis omnibus provehendi: atque Socijs ad eadem fodere latus. Eodem anno Romam iter arripuit datâ operâ, ut Cardinalem Theatinum omittentem aliquando sacra facere diuturnis curis, maximam partem publicis, ac ei à Sum. Pontifice demandatis abstractum commoneret de re, quae sibi, ijs potissimè temporibus, videbatur ab omni reprehensione minùs abesse, (2). O securo ab humano quoquam negotio pectore [ne dicam quavis labe] contingeret nobis quotidie ad tantum mysterium adcingi! Lenissima fuit, uti reberis, erga eum virum admonitio; atque amicè ab antiquissimo Amico accepta; cùm post hac neque Cardinalis, neque Pontif. M. à quotidie

[1] *Pepius in Vita D. Cajet. libr. 3. cap. 2. A. Caracciol. ibid. Eliocler lib. 2. §. 9.* [2] *A Caracc. Vita Pauli IV libr. 5. cap. 1. Pepius ibid. cap. 6. Marchesius p. 11. §. 37. n. 6.*

tidie operando, se, subegisset. jure optimo laudi vertitur animum probe noscenti objurgationem, etsi absque auctoritate, ad castigationem plurimum, si maximè amicitia adsit, valere, modo calumnia, & acerbitate expoliatam; cum quibus probatam nunquam conferri, rarè non noxiam. Ad eadem tempora nuntiat paullo ante prandium quodam die Praepositi promus condus dolens, inque humeros sese contrahens, tantum solum panem superfuisse, & nil quicquam aeris inesse, non nummos, neque aliquid conditij cibarij in penario. Sumere animos is jubet: atque, cum omnes in coenaculo discumberet; verba Patribus facit, cohortaturque ad magnanimam fiduciam in Divinam Providentiam saepe ab ipsis spectatam everendam. Ecce famulus domus vocatur ad ostium, ubi, nemine viso, grande panis canistrum, & cumulate plenum comperitur (1). Posthac praefecturâ domûs D. Paulli nondum expletâ sese abdicavit, veniâ petitâ à Patribus coactis Venetijs ann. 1544. tempore comitiorum. Et jam prope fiebat supremus dies. Pervenerunt eadem, tempestate Neapolim nonnulli necessitudine ei juncti longo desiderio pulsi adspiciendi consanguineum. Sed divite ornatu, qualis magis Tieneam gentem decuisse in Urbe Neapolitana visus, procedebant. Eô maximè atrox Tienis animus gradum fixit nihili omnia faciendi, & in quos nunquam audierat, nullam curam vertendi [2]: dicere solitus, si modo Deus faveat, quorsus amicis, vel adfinibus opus? parere oportet J. Christi consilijs posthabendi suos, ut solos nos exquirendo, in optima christianae disciplinae conditione collocemur. Scilicet

Q ea

[1] *Scriptores nostri omnes: & Sac. Rota Romana*. [2] *Magenius Vitâ D. Cajet. part. 1. libr. 3. cap. 23.*

ea aetate Tienes affectu ergà suos, si Deo placet, sollicitaretur; quâ propiùs obsecratam enixè à Deo ablegationem à mortalibus in aeternae vitae constitutionē abesse persentisceret; scripsit enim his diebus ad amicum, *Laetemur, quoniam appropinquat redemptio nostra* [1]. Paucis ante fatum annis curriculum acrius celeravit [2]. Corporis cruciatubus vehementiùs se addixit : sacris ministris errantibus ignarium dare, quô ad meliorem frugem revocaret; cubantibus in abjectis quibusvis famulari, ad virtutem discipulos incendere, populorum aeternam salutem quaerere, ad omnia christianae virtutis studiosiùs contendere. Et eo tempore magis quàm anteà piacularia multa pro mortuis peregit. Erant Neapoli sacrae generales Indulgentiae. Impensè elaboravit, ut ritè, & rectè perciperentur. Traditur Marinonius jam ab anno 1539. primus auctor fuisse, exactis Neapoli Judaeis, Montis Pietatis. Sed consequentibus annis, in quibus sumus, Tienes saepe memorato Joh. Anton. Caracciolo diù orbo persuasit, ut partem bonorum testamento linqueret pio loco: aliosque praedivites ad tenujum inopias ibidem levandas induxit (3). Ann. 1546. Somascorum familia nostro Ordini adjuncta; de quo fusè noster Historicus agit [4]. An. 1547. aetatis suae 67. iterum Romae in comitijs praeficitur Paulinae domui. Et Divorum Templa, inferaque martvrum sepulcra Romae flagrantiori religione peragravit. Neapolim rediens propè Urbem magnis itineribus ad multam noctem confecit viam, renuitque sistere Atellae, venire maturans, ut matutinas preces diei festi Ascensionis cum Sodalibus persolveret, omnium admiratione [5]. Gesta

[1] *Elioel. lib. 2. § 93.* [2] *Elioel. ibid. §. 93. & 95.* (3) *Fortius Vitâ Tien. libr. 1. cap. 44.* [4] *Lib. 7 pag. 249 & seqq. Hist. C. R.* (5) *A. Carace. in Vita Tien. Collectan: & Scriptores omnes.*

Gesta enarravimus. Sejunctam de more historiam Christianarum virtutum, quas praecelso loco cunctas tenuit, summatim persequi aggredior. Pietatem erga Deum exquisitè coluit. Longas trahebat meditationes divinorum; & eum animo concepit fervidum in illum amorē, quo viri sāctitate praecellētes corripi solēt; ut lacrimae, suspiria, crebri gemitus, oris ardens aestus in ijs ipsis meditationibus, maximèque cùm sacra faceret, foràs erumpentes argumenta quoque ejus rei praeberent. Impetu illius incalescere pariter perspiciebatur in privatis, publicisque orationibus, & in epistolarum sententijs; in quibus ut ceteri simili affectione caperentur, pro virili parte enitebatur: neque quicquam humanae cupiditatis concretū huic divinae flammae inerat; nam primò nullis unquam turbabatur pravis motibus mens ejus: tùm animi securitate multa perfruebatur, conscientiaeque expertis cujusvis anxietatis tranquillitate; tertiò hilaritas in laboribus ad Deum relatis ex usque vultu emicabat; tandèm proposito immutabili deliberatum illi fuit, divinis voluntatibus semper obtemperandi (1). J. Christi mortem, & cruciatus saepe recolebat; ac flere, & lamentari. Eucharistiae mysterium officiosissimè venerabatur; quare quotidiè operabatur perspicua suffusus voluptate ex ipso divino amore enatâ: coelestibus commentationibus pro locis, ubi illud inerat, vacabat; & non raro verberibus corpus caedendo [2]. Hùc spectant usus illius crebrior, & incrementa nitorum, elegantiarumque delubrorum, item observantia in sacris aedibus, meliorque cerimoniarum administratio; quae is invexit; sollertia etiā magna, quâ cul-

(1) *Decretum Consecrationis multis in locis.* [2] *Acta pro ejus Consecrat. cap. de Relig.*

cultum in Eucharistiam subdere animis omnium conabatur (1). Nova quoque inventa tanti studio mysterij molitus est. Nam ejus consilio adscribitur consuetudo palam sistendi toto anno per circuitus in singulis Templis spatio horarum quadraginta venerabile Corpus, quanto tempore humo mansit conditum, ut quotò die publicum fieret: quod deinde ubique nostrarum gentium solemne fuit (2). Ipse idem aut intulisse, aut certè provexisse morem ducitur, ut quotidie Neapoli adstarent sacro nobiles, in alias identidem Urbes deductum [3]. Et certè cerimoniam promovit, Sacratam Hostiam publicè in ara objici inter collucentia circum lumina prostrantem (4); de qua supra memoratum est. Denique certum est, primû illum severè sui Ordinis Sacerdotibus imperasse, ut quotidie sacrum facerent [5]; quod nunquam anteà alij Coenobitarum Parentes edixerant. Virtute caritatis erga nobis proximum unicè praecelluit: & praecipua ponitur nota ejus sanctitatis. Quantûm, ut scelerum purus ageret christianus populus, desudasset, ex tota ejus vita intelligitur. In ejusmodi negocio occupatum non locus arduus, non periculum formidolosum, non opus insolitum ab incoepto unquam cohibuit. Virtutis strenuitas omnia edomuit. Aliquando discrimina subijt, & dubias res toleravit. Itinera difficilia, atque asperitatibus

(1) *A Caracciol. in Vita Tienis Collectaneorum.* (2) *Silosius Histor. Cleric. Regular. part.* 1. *pag* 177. *Dadiecius in Patrocin. D. Cajetan. pag.* 88 *Barbaran. Histor. Eccles. Vicent. libr* 2. *cap.* 99 *Bovdonius in Amore Jesu part.* 1. [3] *Montius in Sanctuario Capuano pag.* 563. (4) *Auctores omnes numeri* 2. *& vide quae in primo libro de re eadem diximus numero* 3. *&* 4. (5) *Constitution. Cl. Regular. p.* 1. *cap.* 9.

tibus conferta in eum finem ingressus est. Excruciabat etiam corpus, & non raro sincera voluntate animam devovit pro facinorum Christianorum expiatione; deque re hac eniti publicis orationibus, epistolis, monitionibus per totam vitam perstitit. Inde detrimenta nonnulla, ut molestias obticeam, non semel cepit. Multi enim objurgatione dolentes, aut gravati, licet iniquè; alij in vehementibus cupiditatibus ad internecionem usque caesi, vel expletionem dimotam, interpellatamve iracundia ferentes, oppugnare cuniculis opera Cajetani, maledictaque contra serere ausi [1]. Equidem ubi animi affectio veluti furor irrupit, is intro incessere ex facto impetu solet appetitus; ut certamen omne obsistentium irritum evadat, & ne suo quidem malo homo velit consulere, non modo alienum aspernetur. Eadem de caussa degentibus in carceribus, capite damnatis, peste contaminatis, jacentibus, moribundis sedulam operam praestitit. Et pias Sodalitates, Nosocomia, Conventus Sacrarum Virginum, aut instauravit, aut valdè juvit, aes quoque suum impendendo; aut optimis legibus stabilivit. A prima adolescentia benignus in pauperes, officiosusque in quemvis egentem. Plurimùm adjunxit animum muneri excipiendi aliorum peccata quamdiù vixit; neque semper à quocunque malo, aut periculo immunis. Regimen etiam ducendi addictos religiosori vitae multum exercuit. Et sese verè ei submittentium non paucorum disciplina ea exstitit, ut Tienis discipulos bene agnosceres. Propositum restituendi corruentem innocentiam sacrorum virûm eadem ratione suscepit. Alio-rum

(1) *Ambiverius Vitâ D. Cajetan. pag. 18. S. Rota Romana: Decret Consecrat. Pratus in commentariolo Vitae Tien. Acta pro ejus Consecrat. composita Neapol. ann. 1554.*

rum flagitia ita religiosum hominem excruciabant, ut animo dilacerari se dicere solitus fuerit. Exinde nonnullos à periculis incurrendi in illa è re nata, alios à vetusto perpetrandi eadem semper morbo, quosdam verò à barathro ipso facinorum abduxit (1). Prolapsis fortunis multorum necessitate adactorum occulendi calamitatem non semel sua pecunia, & patrimonio prospexit (2). Quibus omnibus venatoris animarum cognomen, & insigne flammae ardescentis, cum epigrammate, *Nunquam dicit sufficit*, ei vulgò adfictum. Ut uno omnia complectar; hac in virtute juxta communem Scriptorum consensum Viros sui temporis sanctitate praestantes omnes absque controversia, sed & fortasse ceteros praeteriti etiam aevi jure merito duci potest albis equis praecessisse. Preces pro mortuis stata hora primae noctis edito aeris sonitu primo invenisse Tienem noster Quartus testatur [3], clarus Sacrorum rituum Scriptor. Primum quoque Cajetanum Matris Dei Mariae enixurae partum novendiale festum ante J. Christi Natalem diē Cajetanū proposuisse (4); pariterque auctorem Neapoli extitisse constructionis praesepum in eisdem natalitijs J. Christi, ad monumentum enarrati prodigij, Infantem Jesum fuisse his ipsis festis olim suis brachijs exceptum, multi edocuerunt (5). Quam utramque consuetudinem vulgò ratam reliquae Urbes sumpserūt. Hûc referuntur restitutae publicae conciones jamdiu, maximae Romae, ferè obsoletę (6): & mos inditus Neapoli Conventibus Sacrarum Vir-

(1) *Auctores ijdem.* [2] *Auctores ijdem.* [3] *De Benedict. tit. 2. dubio 9. sectionis secundae.* (4) *Dadiecius in Patrocin. D. Cajetan. pag. 28. Vitalius in itinerib. ad Coelum consider. 7.* [5] *Vitalius ibid.* [6] *Ghislerius in praeludijs Sacrae Doctrin. in fine.*

Virginum colloquendi per interjectas crates ferreas cum invisentibus, nonnullis vero contegendi quoque velo faciem, quod etiamnum servatur; ubi cum extero intromisso unâ esse deberent, seu per Coenobium ille deduceretur (1): atque etiam primò allatus ritus sacrificij votivi Sanctae Crucis in feria sexta peragendi, quae ab alio festo vacet [2]. Etenim haec omnia, quae meminisse juvit, ad duas virtutes pietatis erga Deum, & caritatis in nostros proximos recidunt. Non equidem ejuscemodi nova inventa abs illo omnia reipsa primo fuisse prolata, auderem vadimonium polliceri. Testimonia auctorum adsunt, verùm non pro singulis ejusdem ponderis. Nullos vero reor os sublinere planissime voluisse. Quare quaedam primò molitus erit, alia prolataverit, nonnulla aut restituerit, aut interpolarit. Multus cultor fuit Mariae Matris Dei; cui primas penè omnes Ordinis aedes sui temporis consecrari voluit. Quotidie preces, aut laudes ejus recitabat: id sibi certum praesidium in adversis locarat; ordinisque patronam statuit: & hominem neminem per Sanctissimam Virginem quicquam deposcentem repulsam ab eo tulisse tradunt, quin quod valeret, in officium impenderet. Laetitia commovebatur, nomine audito. Vires omnes in Epistolis, in orationibus, in peccatis auscultandis, vel pro suggestis intendit, ut obsequium in illam alijs infunderet: nihilque absque ejus auspicijs aggrediebatur. Coelites singulari veneratione observabat; potissimum DD. Michaelem Arcangelum, Petrum, & Andream Apostolos, Lucam Evangelistam, & Franciscum Assisien-

(1) *Magenius Vitâ D. Cajet. p. 11. cap. 4.* (2) *Acta pro ejus Consecratione Vicentiae conflata, apud Denticem Vitâ D. Cajetani lib. 2. cap. 6.*

fiſienſem [1]. Proinde & vota Ordinis D. Petro nuncupari, & notam Principis illius adſignari imperavit. Vir in omnibus temperans fuit; non in vetitis modò, verùm & in omni victu, cultuque corporis; maximeque in eſcis, in quibus ita frugi, ut minimum ferè ſemper caperet cibum, nunquam non vulgarem; quasvis cupiditates ſibi, corporique, quod catenis, ſetiſque non raro obligabat, ac aliquando loris verberabat, praecidi ſtuduit; eas ſimùl, quae nemini auſterae ſanctitatis ſectatorum inviſae haberentur, aut faſtiditae. Nimio plus rigidae diſciplinae redargutus, ita infirmatos appetitus multô expeditiùs morem genere rationi, reddebat. Linguam compeſcuit; pauca, ſeria, & modica; ac non niſi meditata loqui; quibus modis benevolentiam, & honorem, uti moris eſt, plurimum collegit. Praeſidum, ac praeceptorum arbitrio mancipatus omnino fuit; juſſis parens, aequa ne, rataque, non inveſtigato: nam itinera neque non dura primo eorum nutu ſuſcepit. Cognomen habuit Perpetui obedientis. Hucque ſpectant, quae ſupra de recuſatione comitis optione data profecturo Neapolim dicebamus [2]. Nunquam irae ceſſit cladibus exagitatus; aut cum calumnias, vel convicia, & ſua facta aſperè perſtringentes cùm domi, tùm foris, vel increpationum verba ſuſtineret; etenim nil repugnanter accipiebat. Verè ejus pa-

[1] *Eliocherus lib. 3. §. 13. Articuli, & Poſitiones in cauſſa Conſecratin. B. Tienis pag. 23. & Acta pro eadem Neapoli compoſita an. 1654. Decretum Conſecration. & quae leguntur in multis Epiſtolis ejus ad Mignaniam.* (2) *Ambiverius in Vita D. Cajetani. Dadiecius in Patrocinio D. Cajetani. Barbaran. Hiſtor. Eccleſiaſt. Vicent. lib. 2. Decretum Conſecrationis. Eliocler. lib. 3. & vide quae ſub numerum 2. hujus Libri poſita ſunt.*

patientia explorata in rejectione novi Ordinis quam Romae subijt, verè perpessu aspera, cum ceteris aerumnis, atque etiam contumelijs, & dicterijs in se, suos, inque insuetum vivendi genus inlatis; in Urbis vastatione Borbonica; in domicilijs infimae faecis aegrotantis, aut pestilentia affectae; in vilissimis quibusvis officijs gerendis, imperatis à praeceptoribus; in corporis afflictationibus; atque plurimùm in aliorum culpis auscultandis, quod nunquam, quodcumque alterius rei tempus esset, facere renuit (1). Valetudines multas pertulit aequo animo. Atque dum virorum, feminarumque perditae vitae emendationi operam daret, in periculum non semel, ut summum fastigium rei poneret, videns sciens adductus est [2]. Quando vero praefuit; severitatem lenitate temperavit; non impetu, sed ratione delatus; neque singularibus studijs erga quempiam, aut proprijs animi motibus percitus: tùm politica, cùm sacra moderari judicio multo: et ad pensum suum reliquis fax non perfunctorie unquam adire. Cuicumque vel modestae violationi Institutorum cavit servator ipse irreprehensus; simul nullius incuriae, aut pigritiae prò sibi subjectis dignus insimulatu. Explevit aliquando etsi illo in loco humillima aedium munera; ne quid de demissione vel in imperando diminueret. Intentus fuit comitati: perspicax sane, & prudentissimus, sacrum praesidem exemplo, & consilio longè satiùs personam tueri, quàm vi, & imperij potestate: neque illum, nisi per humanarum rerum imperitiam, aequari cum Principe, opportunum, & aequum; quem penes non modo auctoritas, sed &, quod

R

[1] *Sacra Rota Romana.* (2) *Elioclerus lib. 3 §. 19. Caves in Vita D. Cajet. cap. 10. Calascibetta in Vita D. Cajetani lib. 2. cap. 9.*

quod caput est, actio potentiae. Omnium illustris effectus fuit sapientia successorum, maximè ejus aetatis, & Marinonij in primis; quibus tradere posset lampada cursu (1). Regendi, consultandique prudentiam extra sedem administratoris aeque ostendit, si privata agerentur. Mansuetudine perpetua fuisse palam est; hujus enim tranquillitatis species nunquam è vultu decidere visa. Pudicitiae caussa corpus varijs modis defatigare, sensusque omnes discruciare non omisit; & ab occasionibus vel tenuibus deflectere; hinc eam tuebatur praefractè; etiamsi ad voluptarios affectus opes, fortunae, generis claritas, nummorum vis multo tempore pelliceret. Sed omnia irritae fiunt captiones ingenio verè voluptatum inimico: neque id difficile huic coelesti Viro; si illecebrae lotum non degustavit; illis perarduum temperare à peccando, qui inhonesta vitiorum auctoramenta ceperunt, ne ad pristina revocarentur, dum semel deliquerint; sicuti, *χαλεπὸν μαθοῦσα κύων σκυτοτραγεῖν*, quod vetus fert adagium. Cùm mulieribus necessario permansurus, austerum vultum objiciebat; pauca, & vix oculis in illas emissis. Id severum os, habitumque praeseferre se ajebat, ut rei consciae ad pudorem compositae, & vestium intemperato cultu abjecto, ad se adirent. Animum dici poterat plane obdurasse contra ejuscemodi appetitiones; & tandem humanā etiam genitivam earum audaciam funditùs contudisse [2]. Reliquas deformes libidines pariter devicit. Christianas virtutes demissionis animi, & paupertatis modo recensebimus. Pecunias minimi pendit; nam bonam patrimonij partem in varios religiosos usus pro-

(1) *Sacra Rota Romana.* (2) *Decretum Consecrationis. Rota Romana.*

profudit, & pollicitas opes, nummosque comportatos non semel repulit. Constat jam inter omnes, & nos diximus, argumentum illius fuisse coruscum novam Ordinis machinam; ut, quidquid praesentis diei superesset, aut renuere, aut indigentibus propositum fuerit distribuere: cum supervacaneum id appellasset firmae animi in divina providentia confisioni, idest hujus laudabilis paupertatis principio [1[. Dignitates, & ornamenta quaelibet despectui habuit, solas etiam laudes aversatus; imaginumque suae gentis recordationem coram se fastidiens, & stomachatus. Multa quidem peregit cum nobilitate sobolis certantia. A Romana Aula creditur sejunxisse se, ut abs honoribus declinaret, cum tenuem in cunctis quaereret vitam minimis suae sortis expletus. Cognomina multa manifeste injuria, neque specie tenus ementita, aut ostentatione virtutis [sicuti saepe solet, ubi elatior multô, etsi acutior superbia] ipsemet sibi adscripsit; quae indicium quidem interioris sui existimationis exhibebant, sed à veritate aliena. Satis mirum sibi videri dicebat, à Tellure substentari se vilissimum Orbis, & infinitae improbitatis hominem; in teterrimum arrogantiae scelus incurrisse, cum Sacerdotio initiari ausus fuit; in corpus suum animadvertere necesse se habere, quia daemonem putabat; Sacerdotum faecem, inscitiae arcam, imprudentem, minimi judicij, cujuscunque divini favoris meritò inopem, misellum Cajetanum esse. In Epistolis modo subsignabat: Ego miser presbyter, & indignus Cajetanus: modo, Infructuosus famulus Christi: aliquando, Aridus vester in Christo filius. Alphabeti Christiani primam litteram vo-

[1] *A. Caracciol. Vitâ Pauli IV. p. 2. Vitâ Tienis Collectan. Bzovius ann. Eccles. an.* 1524.

vocabat Virtutem humilitatis; si haec rectè non addisceretur, non addisci unquam legere Librum vitae, & virtutis Christianae. Paullum interim pedem studio patefacere vel coràm illustrioribus viris; ast animi virtutes, & divinas benevolentias à conspectu subducere; sique insuetum quid à Deo exorasset, aerumnasve deprecatus foret, ad caussas alienas revocare solitus erat. Quando aliqua objurgatione uteretur, non modo contumeliā à castigatione porrò arcebat intermixta scito artificio cum lenitate; verùm aliquando veniam prius ipse rogare [1]. Multorum opinio fuit, saepe ab illo enixissimè Deum obsecratum, ut omnis sui memoria oblivione oppr imeretur (2); quô referendam ignorationem non paucorum illius. Et quidem vix credibile est, Scriptores, etiamsi tempora spectentur, aut narrationem subterfugere, aut facta obticendo obscurare animo intendisse. Nam in hujusmodi Historijs haud oscitanter ea tempestate gerebantur. Ergo multa effugerunt cognitionem aequalium aetate; & diu posteros latuerunt; modoque latitant; ne de alijs dicam ob incuriā, atque inscitiam [duo magna principia dignitatis studij Historiae] praetereuntibus Historicos intexentes primas narrationes. Ad haec quoque spectat, nil hominem deditum fuisse consanguineis, quos adventantes ad se rejecit: sententiasque inde promptas nihil curae esse sibi profitebatur: & domi suae manere, ubi primùm decessit, nunquā voluit; solū quando mater, alijque necessitudine jun-

(1) *Acta pro ejus Consecrat. Pon M. Innoc. X. Articuli pro eadem de Humilitate pag. 31. Eadem Acta pro Consecrat. concinnata Neapoli ann. 1634. Decretum Consecrationis. Caves in Vitâ D. Cajet. cap. 11. Dadiccius in patrocinio D. Cajet. pag. 52.* (2) *Scriptores omnes. Clarissime Acta pro Consecrat. Neapoli composita ann. 1654.*

juncti in difficillimū morbum inciderunt [1]. Auxilio in nonnullis adfuit Fratris filiae haeredi; ni fecisset, certo implacabilis, non modo medium nil sequutus haberetur. Sedem tenent in Cristianarum virtutum aula religiosae quoque meditationes. Multum his vacavit vir sanctissimus, magnam partem divinis. Erant diutinae; ad multam noctem interdum productae; non raro noctem, diemque continuantes, ac in nonnullas octo adhibitae horae. Quidquid cessationis foret, continuô illis deputabat: & magnam motionem amoris ergà Deum, & coelites vis missa lacrimarum nuntiabat: ipsisque potissimum ante, & post rem divinam factam diu distinebatur. Ejus mos fuit bonam partem noctis in pijs commentationibus, alijsve probis operibus traducere: tum in humili lectulo cubitare, dein aliquod tempus corpus cruciatibus exercere: omnia adaugere solitus, vel publici boni caussa, vel ut improborum vita emendaretur (2). Seculum appellabat, *Nemus, ubi hostes multi occuluntur adversus nos insidiis: & homines*, ajebat, *laetitiam nullam in hac vitâ, vel si Magni Reges essent, nisi per J. Christum obtenturos: cetera gaudia veneficia, & praestigiae mali daemonis incantantis*. Reliquas virtutes, & quae fundamenta sunt aliarum, summo verô loco caritatem in Deum, & suum proximum, de qua sermonem instituimus, ea possedit cumulata ratione, ut Decretum Consecrationis haec habeat. — *Constans opinio fuit multorum, illum sublimioris sanctitatis gradum attigisse, & consuetas metas praetervolasse*.

Hoc

(1) *Caves ibid.* (2) *S. Rota Rom. Articul. & posit. S. C. Rituum in caussa Consecr. Decretum Consecr. Deutices in Vita D. Cajetan. lib. 2. cap. 5. Barbaran. Histor. Eccles. Vicent. libr. 2. cap. 97. Eliucl. lib. 3. §. 29. Caves in Vita D. Cajet. cap. 18.*

HOc eodem ann. M. D. XXXXVII. magnae turbae eruperunt Neapoli; propter Tribunal SS. Inquisitionis; quod per Petrum Toletanum Proregem, & Cardinalé Compostellanum ejus fratrem, opem Romae praestantem, excitari ritu Hispanico paratum Neapolitani Cives detrectabant. Item nunciatum multa intercessisse consessubus Concilij Tridentini, ob quae illes intermissos: discruciabatur his Tienes maximopere. Omnia experiri, divina, humanaque; & publicè, privateque deprecatorem sese prodere; ut Immort. Dèus calamitaté averruncaret (1). Insanior in singulos dies furebat commotio. Unde bellum in Civitatem acerbissimum nemo non portendebat. Et quodvis incoeptum frustatum. Neque enim tam facile multitudini insaevienti seditione obsistes; si maximè disciplinae licentia fuerit fomes; ut non raro anchoram quoque tollere oporteat, ubi omni telorum genere pugnaveris. Ergo Tienes tanta rerum perturbatione perculsus, & immania scelera, consecutiones tumultuum, spectans, probèque noscens, quemquem cum nebulis colluctaturum, angore paullatim contractus macerabatur. Tum morbo implicatum acris febris invasit, ut tandem ex animi aegritudine mors processerit. Corporis etiam defatigationes, crebra jejunia, majoresque vigiliae, tum potissimùm increscentes, ut Dei Numen expiarent, quo sine mala evenire non credebantur, naturae praesidium labefactarant. Omnes consentiunt in languorem, & morbum ob id illum incidisse (2). Sed quidam pro Civitatis salute se quoque devovisse putarunt (3). Supplicationes in-

[1] *Decretum Consecrationis: & Scriptores omnes cum S. Rituum Congregatione, & Rota Romana.* [2] *Testimonia numeri praecedentis vide.* [3] *Magenius Vita D. Cajet. p. 3. cap. 2 n. 652.*

instituit, in queis adnecti quibusdam implorationibus à se conditis voluit verba Danielis, *Exaudi Domine*, *placare Domine;* unde precatio prostitit ab ipso confata (1), qua vulgo in Altari ante Eucharistiam palàm expositam utimur, cum pro Reipublicae bono, aut depulsione malorum rogamus. *Respice Domine Sancte Pater de Sanctuario tuo, & de excelso Coelorum habitaculo: & vide hanc Sacrosanctam Hostiam, quam tibi offert Magnus Pontifex noster, Sanctus Puer tuus Dominus Jesus Christus pro peccatis fratrum suorum: & esto placabilis super multitudine malitiae mundi. Ecce vox Sanguinis Patris nostri Jesu clamat ad te de Cruce, Exaudi Domine, placare Domine, attende, & fac: ne moreris propter temetipsum Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super Civitatem istam, & super populum tuum: & fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Ut Civitatem istam defendere, pacificare, custodire, & conservare digneris, Te rogamus, audi nos.* Paullo ante composuit quàm aegrotus lecto decumberet: & usque eò versabatur sub pectore salutis Civium Neapolitanorum cura, ut vel dum inciperet animam agere, eadem apertè saepe iteraret. Placare Domine, exaudi Domine, cum reliqua prece (2). Morbi cruciatus animo ferebat aequissimo: neque extremis doloribus succubuit, certè maeroris nulla inspecta indicia. Pauperrimum lectulum relinquere persuaderi nunquam potuit. Mortis pompam nemini non Mortalium terrificam strenuo, quanto poterat, certamine oppugnabat; divinis auxilijs planè fretus, illaque jugiter appellando. Postremas sacras cerimonias omnes religiosissimè pe-

(1) *Articuli, & position. pro Consecrat. apud S. Rituum Congregat. & Scriptores omnes.* [2] *Magenius ibid. n. 660.*

peregit. Advocatos Sodales ad quaecumque virtutum genera, praecipue ad Ordinis Instituta sanctè tuenda cohortabatur; & pulcra edidit praestantis sanctitatis exempla. Cum jam omnivoram feram mortis accedere persentiret, extremaque vitae tempora dilabi, ad magnum agonem animum infractum confingit. Agmina affectuum timoris, perplexitatis, trepidationis, dubiae ipsi conscientiae, horribilis adspectus imminentis aeternitatis, incertitudinis exitus impetum unà faciebāt. Verùm aggere infinitae Divinae Misericordiae pij viri constantia se munit. Actus amoris Dei, Fidei, Spei, cultùs ergà Deum, & coelites, maxime suos tutelares, & Dei Genitricem praestat creberrimos. Congregati ante lectum Patres omnes: abs illis non semel demissè, suis erratis parcere vellent, petit; amantissimi Patris recordarentur; se, suaque eo difficillimo rerum loco Omnipotenti Deo commendarēt. Postrema gravissima instat hora. Historiam mortis J. Christi legi jubet; divina auxilia etiam atque etiam exposcit; luctam alacriter agit; gemitus ad Jesum servatorem nunquam remittit, miserum Cajetanum in maximo discrimine ne deserat; subindeque exclamare se de Deo, ejusque miseratione altè confidere. Adstantes vultu dejecto tristitia magna obruuntur. Sensus ferè omnes interciderant; solam mentem experrectam habere identidem ostendebat. Et obijt vii. Idus Sextiles hoc anno M. D. XXXXVII. aetatis suae sexagesimo septimo, professionis Ordinis vigesimo tertio. Vix è vivis excessit; cum populares tumultus sedati aliquantum, mox penè restincti (1). Nonnullorum opinio fuit, id illum à Deo exo-

---

(1) *Rota Romana. A. Carace. in Vitâ Tien's Collectaneorum, & Scriptores omnes.*

exoraffe; quô vitam pro Neapolitana Civitate auspicatô profudiffet (1). Certo primum laetum poft ejus mortem ftatim accidit Orbi Chriftiano. Alterum fauftum hujus anni dederunt quoque, fed falsô, nonnulli (2) Tieni in Coelos inlato; quod ab Hippolyto Portio ejus cognato, Duce Turmae in acri praelio Caroli V. Caefaris contra Joh. Fridericum Saxonum Principem, fufis omnibus, caesifquae Saxonibus, captus bello fuerit Fridericus, ac Victori Carolo datus: & erat Regnum Friderici Luteranis, exemplo parentis, fecundifsimum. Nam praeter dubium captivi Friderici auctorem, cum Hungari, Hifpani, atque itali (3) facinus fibi adfcifcant; contigiffe victoriam 8. Kalend. Majas hujus anni ante letum Cajetani longe certius eft (4). Ob benefactum in noftram Urbem Magiftratus Patriciorum in commune, ubi relatus fuit in divos Cajetanus, dona cerae fe ei daturos in anniverfarijs feftis apud D. Paulum voverunt: dein Patronum praecipuum & Civitatis, & Regni cunctis fuffragijs crearunt. In D. Pauli fepulcris conditus fuit, non fublime, aut in arca pofitus, fed humatus. Quare communis, quô alij

S in-

[1] *Teftimonia numeri praecedentis.* (2) *A Carpacciolus in Vitâ Tienis Collectaneor. Eliocler. libr. 4. cap. 17. Carpyus Vitâ D. Cajet. p. 2. cap. 17. Pepes Vit. D. Cajet. libr. 3. cap. 14 Fort Vit. D Cajet. libr. 1. cap. 48. Argotus in Vitâ Tienis lib. 3. cap. 9.* [3] *Struvius in corp. Hiftor Germanic. tom 2. pag. 1048. fed Natal. Comes tribuit Portio Hiftor. fui temporis lib. 2 in fin.* (4) *Spondanus; Raynaldus in annalibus; Labbaeus in Compendio Chronologico par. 3. fed ipfe idem in Hiftor. Chronolog. poft Compendium evulgata fcripfit fuiffe diem ix. Kalendas Septembris. Calvifius in opere Chronolog. ad an. 1547. & Struvius corp. Hiftor: Germanic. tom. 2. pag. 1047.*

inferebantur, locus, injecto promiscuè terrae tumulo, dubium post non multum temporis corpus Cajetani fecit; solùmque pro explorato haberi creditur, juxta jacere sepultum Marinonium. Postea Ara, & Sacellum impositum hoc epitaphio -- *Sub hac Crypta in Pace requiescunt Corpora B. Cajetani Thienei Vicentini, & B. Marinonij Veneti: atque priscorum aliquorum Patrum, quorum memoria in benedictione est*. Identidem verò Sacellum, Aram, & inferam Cryptam cùm Patrum, tùm Civium studia elegantissimis ornamentis decorarunt: & permulta varij generis donaria parietibus, & columnis suspensa; atque innumerae tabulae votorum maximam partē ex argento, & sigilla argentea, vel aurata, aut gemmata, quorum multa repraesentantia quoque vota, penduli lychni plurimi argentei, atque aurei, & aulaea, & picturae, & marmora, & quotidie ardentia cerea lumina quaquaversus effulgent. Quod idem in omnibus Templis nostri Ordinis adspicitur ad Sacrarium D. Cajetani splendido ornatu, & dictis Tabellis permuitis, ac donarijs, celebritateque populorum instructum. Cum parenteretur, frequentia magna ad funus convenit; de maxima jactura clamare, & lacrimari; alij manus, & pedes exosculari; alij totum corpus amplexari; quidam jamtum opem à Deo ejus precibus petere, & patronum sibi illum constituere: Universi apud Coelites jam suum Cajetanum versari palam asseverare. Sanctitatis famam vix à Terris sublatus tenuit, jugiter augescentem. De quo omnes consentiunt. Statura mediocri erat: facie rotunda, licet corporis cruciamentis tenuata, & promissa: vultu pallens, ac macer: genis subrubentibus: & in altero pede vitium habebat. Parvam gerebat barbam, canam aliquantum grandi aetate; nigros verò capillos protensos. Ab Urbano VIII. an. M. DCXXIX. 8. Idus Octobr. adscriptus fuit Beatis,

tis, à Clemente X. divis an. M.DC.LXXI. prid. Idus April. Festa Consecrationis praeclara Romae instituta ; praestantissima vero Neapoli, & vere insueta : spectaculis sumptuosis omnis generis, & significationibus ingentibus laetitiae, ignibusque ubique collucentibus Urbs tota complebatur. Anniversaria sacra, potissimum post parvum tempus à Consecratione, Neapolitani semper peregerunt eximia: & nunquam illa alijs ejusmodi solemnibus concesserunt. Cultum Divorum nuper dicti Summi Pontifices suo ordine, & tempore ei decreverunt. Statusque in fastis dies septimus Augusti, quo mortem occubuit. Inter quatuor numero Coelestium unà adlectos primas Tieni tribuit Sac. Rituum Congregatio, nimirũ ut Ordinis conditori. Maxima veneratione D. Cajetanum coli ubique Terrarum, exploratius est, quàm ut dici opus sit. Nihil est humanarum necessitatum, pro quibus populi singulari spe, atque veneratione preces ei non admoveant. Quod multitudo ad ejus aram in nostris aedibus singulis ferè diebus coacta manifestat. Et quidam dicare etiam sese illi solent; quem saepe juvantem patrocinio obtinuerunt. Quamplures vero Urbes in Orbe universo suum divum Praesidem cooptarunt.

Mira multa perpetravit, quorum Pontificia auctoritas ex Sacr. Congregationis Rituum, & Rotae Romanae judicio haec effecit rata in Decreto Consecrationis conclusa. Helena Gritta nobilis Veneta febri, non intermissa duos menses afficiebatur; quam denique non modo letiferam accessionibus, & alijs teterrimis indicijs judicarant Medici; verùm etiam saluti prorsus desperandum jusserunt. Ad Cajetani postremum perfugium se confert, & sanitatem celerrime recipit. Franciscus Virga Mediolanensis febri item laborans, morti proximus erat; cum humeros repentè protrudi sentit, & è lecto extem-

plò se proripit; sanitateque perfecta corpus donatum novit, D. Cajetani ope, quam obnixe postularat. Dolore artuum Petrus Francus Venetus septem annis correptus erat in brachio sinistro. Quodam die atrociùs appetitus pergit ad templum Clericorum Regularium; & D. Cajetanum implorat: nulla mora; furiosus dolor illico reprimitur, & brachium suis viribus valet. Vienna Musca Vicentina duodecim annos morbo majori aegrotabat, ut intra 24. horas ter concideret; vovit dicturam se quotidiè Ave Maria, & Pater Noster ante D. Cajetani Imaginem: & voti statim fuit damnata. Quod cum semel reddere omisisset oblita, in morbum iterum incidit. Sed abijt morbus, neque iterum impetum unquam fecit, cum posthac semper se voti liberasset. Catarina Buranella Veneta foedissimo ulcere perforatum ad nares usque palatum tres annos habuerat, ut hausti liquores è naso erumperent. Summo studio quodam die D. Cajetanum obsecrat, ut opem praebeat, ejus Imaginem ori, & naribus adplicans. Somno rapitur; & mane expergefacta preces prorsus ratas cognoscit. Dignemeritae Carotiae Venetae hydrope diro pressae, atque omni motu destitutae cita, & integra incolumitas redit, omni vi morbi venis fugiente, & reddito motu, ope D. Cajetani, quem invocaverat, & nocte coruscantem inter radios viderat. Obsederat malus daemon Juliam Crottam Mediolanensem puellam. Verùm, nuncupantibus pro nata parentibus vota ante D. Cajetanum in D. Antonij Clericorum Regularium, hostis ter divum nominans decedit; quod confestim praestiturum se minatus erat. Ab horrendo cancro, qui alto ulcere latè per manum serpebat, & carnem multam depascens membrum absumebat, immo periculum vitij principum corporis partium in universum impendebat, soluti sunt Fr. Coria, & Josephus Ajellus Alctaini, delibuti loca exulcerata oleo lampadis ante

Arā

Aram D. Cajetani accensae, ne ulla quidem cicatrice parti inhaerente. Obtigit id primo noctis tempore, cum mane medicus praecisurus ferro manum esset, & inustionem obducturus. Sed illud Romae singulare Clemente IX. P. M. fuit; quod Nicolao Cafarellio Patricio Romano mortifera febri correpto, convulsione universi corporis, alijsque saevis morbis exagitato, & viribus omnino fracto integram sanitatem à Deo O. M. deprecatio D. Cajetani, cui votum effecerat pro salute, exoravit, eadem ipsa nocte vigesimi noni diei morbi, quando sententiâ Medicorum quicquam sperari de vita vetantium manifesta mors naturaliter praedicebatur. Vires quoque omnes corpori brevi restitutae: incolumitasque semper servata. Innumera sunt, quae D. Cajetani imploratione Populos fuisse adsequutos enarrant Scriptores; quaeque omni tempore patrari perhibentur; ut jure merito eum existimes Divorum unum, ad cujus opem maximè omnium confugitur.

Acuta dicta ejus fuerunt, praeter illa, quae prodita sunt in Historia. — *Si non esset propria voluntas, neque Inferorum locus, neque piacularis, ubi tamdiù morandum, quandiu propriae voluntates expurgentur, unquam foret. — Configere nos ipsos oportet cum J. Christo; in hac Cruce nostra desideria, & voluntates transfigere; nullam aliam voluntatem nobis nos praebere, nullum arbitrium. Nam sicuti Cruci affixus per se moveri nequit; sed sola Cruce commota; Ita Christianus cum Jesu crucifixus movere sese motione propriae voluntatis amplius non debet, at motum à sola voluntate Christi expectare. — Veluti Piscis extra aquam pereat necesse est; ita Coenobita sine obedientia vivere diu nequit amicus Deo, & tutus periculo incurrendi in quodlibet jacturam; obedientiâ enim is reddit, quae promisit; qua sine*

non modo votorum, & Institutorum, verùm quoque legis Divinae Ordinem, & conservationem perturbat. -- Divinam Eucharistiam sumendam esse non ut J. Christus sese in nos immutet, sed ut nos illo immutemur; hoc est, non ut J. Christus nostram perficiat voluntatem; sed ut nos illius. -- Mundi delitias, & voluptates esse malorum Daemonum praestigia; quibus homines incantati non nutriuntur, aut explentur, sed solùm inflantur; Deum vero unum veris, solidisque voluptatibus potiri; quae humanos animos satient. -- Cuidam se roganti ut favorem, & opem apud procerem quemdam adhiberet, quô filius ministerium Judicis adsequeretur; respondit; *aequum benè esse, ut Populis Judices dentur; minime vero par, ut Coenobita sese curis prophanorum immisceat.* Scripsit Elisabethae fratris filiae: *Non secus accidere homini patriae suae, quae Coelum est, oblito, ac viatori, qui in Caupona vino madidus inde efferre pedem nesciat, & viam reperire, quae ad Patriã ducit. --* Morosus senex erat in famulos Dynasta Oppidanus, de quo dictum est in Historia. Hunc quodam die Tienes irascentẽ ita repressit. *Dic sodes; Esne tu perinde obediens Deo, atque tibi ab hominibus velles obediri?*

ADjiciam perbrevem narrationem de Vita Tienis, quam Erasmus Danesius adolescens Ordinis novitius, sed eum non professus, dum vitam senex agebat Cajetanus, scriptam reliquit, vigore plenam, cum vana quisquilia absint, commentariolique germanae veritatis simulacrum. Ex Italico sermone in latinum vertit A. Caracciolus; è cujus vita Tienis Historicorum Collectaneorum, de quibus sepè memoriam fecimus hûc, transcripsimus.

DE

DE Cajetano haec dico; fuisse eum adeò venerabilem senem, ut planè verear, an satis sim narrare ejus Viri eximiam probitatem, ac virtutem. Extitit enim vita praestanti exemplo conspicua: in conversatione humilis, mansuetus, modestus, pauci sermonis: In precationibus assiduus: erat enim cernere eum jugiter in Odaeo persistentem fixis humi genibus, aut precarios globulos, aut libellum aliquem pium manu gerentem: meminique me saepe vidisse illum inter precandum lacrimantem. Erat etiam cibi parcus; imò saepissimè jejunabat. Plura advertere potuissem: sed tunc prae adolescentia his observandis non vacabam diligenter. Sermo gravis, devotus, tunc maximè, cum inter refectionem verba ad fratres faceret. In operis domesticis, laboribusque primus omnium semper; verbi gratia, in mundandis lixivio linteis, in everrendis cubiculis, & tota domo, inque alijs hujusmodi vilibus exercitijs. Noctu primus omnium ad vigilias excitabatur, primus ad Odaeum descendebat: quo loco alacriter, ac meditatè, & cum decenti pausa Psalmi canebantur. Cum ei de more ante Sanctissimum Christi Corpus, aut alibi alias genuflectendum esset, profundè ad humum usque demittebat genu. Persoluto Matutino precum officio, eodem quo psallerat loco, genibus humi fixis, mente orabat ad horam usque Sacrificij. Deinde animo demisso & humili, labeculas suas quotidianas confessus, religiosissimè sacrificabat, idque ut plurimum ad S. Andreae, vel ad summam Aram. Me verò ut patria Cajetanum, & Novitium, ad sibi Sacrum facienti administrandum frequenter adhibebat. Post haec rursus ad Psalmodiam accurrebamus. Tum verò recitatis Prima, Tertia, atque Sexta, explicitisque Sacrificijs, ad mensam accedebamus: ea frugalis & exigua ex ijs scilicet, quae mittebantur. Et saepè contigit nihil nos in Coenaculo reperisse nisi modicum panis frustum, & fortè aliquot mala medica. Memini verò quadam

dam

dam die, nihil nos praeter panem & quatuor recentes fabas habuisse. Interim tamen Dominus providebat, animum alicuius pij hominis movens, ut quidpiam nobis mitteret. Quapropter Cajetanus instituit, ut Benefactorum nomina publicè in Coenaculo de superiore loco recitarentur. Plurimas praeterea gratias ijs agebat; Deum semper laudans, quod ut nobis munifici essent, inspirasset: diligenterque nos omnes admonebat pijssimus Senex, ut Deum pro illis exoraremus. Ut paucis dicam, Cajetanus erat vita prorsus irreprehensibili, castus, mansuetus, misericors. Erga aegrotos praesertim magnam ostendebat benignitatem: suis eos cibabat manibus. Marcum Pasqualium gravi, & diutina valetudine laborantem eximiis charitatis officijs prosecutus est. Atque adeò omnium ille salutem enixissimè procuravit. Privatim verò in suâ cellulâ summam paupertem coluit. Culcitra stramentitia, paleis scilicet infarta, & semilacera. Pulvillus item è paleis. Tabella vilis, & scabellum. Pauci libelli; & sacra imago cartacea. His ille cubiculum instruebat divitijs. Vestes interiores, exterioresque è panno crassiore. Statura erat mediocri, neque pusillâ, neque valde procera, vultu ad rotunditatem vergente, sed aliquantulum macie extenuato, genis nonnihil rubentibus. Oculis, atque ore suavitatem, benignitatemque spirabat. Barba attonsa, & canescente. Comam usque ad extremas aures promittebat, ut eorum temporum mos erat. Pileo primùm rotundo ad Venetorum morem, postea cruciato usus est. Fateor, non posse me omnes ejus Viri virtutes exaequare dicendo. Illud dixisse sat fuerit, pijssimum illum Sacerdotem floruisse eximia sanctitate, egregijsque virtutum ornamentis.

SCriptores autem nobis probè noti, qui Tienis Vitam, aut quaecumque monumenta quovis modo scriptis tradiderunt, fuere, quos ordine referam: Johan. Anton.

ton. Pratus C. R. Cujus narrationes non editae ; sed insunt sparsae per aliorum Auctorum Historias Tienis ; maxime A. Caraccioli in Collectaneis, Tusi, & Silosii in Historia nostri Ordinis ; & Argoti, ac Magenii in Vita D. Cajetani. Vixit Pratus eadem aetate cum Tiene - Erasmus Danesius, cujus Commentariolum nuper praebitum est - D. Andreas Avellinus C. R. in quibusdam Epistolis inter ejus opera in lucem emissa - Michael Moscus C. R. in Vita non edita. Valerius Paganius C. R. in Chronicis nostri Ordinis non editis. Et horum quatuor Scriptorum memoriae per aliorum quidem Libros, praecipuè Nostrorum, disjectae - Joh. Bap. Tufus C. R. E. Acerranus in Historia nostri Ordinis, impressa Romae an. 1608. - A. Caracciolus C. R. in Vita Tienis Latina in Collectaneis Historicis saepe commemoratis, impressis Coloniae Ubiorum an. 1612. - Joh. Bap. Castaldus C. R. Vitâ Tienis inter Vitas 50. illustrium Cl. Reg. impressis Romae an. 1616. & in imaginibus Tienis impressis Veronae an. 1627. & in Vitis Tienis, Marinonij, & Andr. Avellini impress. Vicentiae an. 1627. - Aloysius Novarinius C. R. Vitâ. Venetijs an. 1630. - Hilarius Caves C. R. Vitâ. Genuae. an. 1636. postumâ, editâque cura Joh. Frat. & iterum impressa Messanae. an. 1664. - Fr. Pona nomine, & praenomine Graeco Euretae Misoscholi. Vitâ. Veron. an. 1645. quam ipse conscripsit ad piaculum impurorum scriptorum - Fran. Barbaranius in cap. 86. tom. 1. Historiae Ecclesiasticae Vicentinae impressae Vicẽtiae an. 1649. - Josephus Silosius C. R. in Historia Latina nostris Ord. Romae. an. 1650. & in eadẽ ab ipsomet Italice reddita, non edita - Albertus Ambiverius C. R. Vitâ. Venetijs an. 1655. - Jacobus Dentice C. R. Vitâ postumâ. Neapoli. an. 1655. - Th. Caracciolus Archiep. Tarentinus ; in Vita, vel Narratione Gestorum B. Cajetani ; nomine ficto Nicolai Auxentij, titulo vero Graeci vocabuli Eliocleri ; Impressa Venetijs. ann. 1655. - Joh.

Marolius C. R. Vitâ. Venetijs an. 1655. Charpyus Scriptor Gallus, à Consilijs Regis. Vitâ. Parisijs an. 1657. - Stephanus Pepes C. R. Vitâ. Venetiis. an. 1657. Et iterum Venetijs. an. 1658. & Germanicè, ac Polonicè reddita - Paulus Bottius C. R. Vitâ. Venetijs. ann. 1671. - Jos. Silosius (idem qui supra) Vitâ. Romae. an. 1671. - Emmanuel Calascibetta C. R. Vitâ Hispanica, translata ex Vitâ Pepis. Madriti. an. 1671. - Fr. Maggius C. R. In Sermonibus. Neapoli. ann. 1672. & in Devoto ad Pedes B. Cajetani. Neapoli an. 1672. - Cajetanus Perlettus; ficto nomine Petri Galeantis in Anagrammatismo Thieneo; sive Vitâ D. Cajetani XDVIII anagrammatibus puris efformata. Venetijs. an. 1672. - Hieronymus Meazza. C. R. Vitâ, Mediolani ann. 1681. - Fr. M. Maggius (idem qui supra) in tribus Magistris Elia, Cajetano, & Ignatio Loyola. Panormi. an. 1685. - Bernardinus Benzius C. R. Vitâ. Romae. an. 1686. - Joh. Fortius. Vitâ. Maceratae. an. 1685. & Venetijs an. 1686. - Cajetanus Vicichius C. R. in Thieneide, Poemate impresso Patavij. an. 1686. - Th. Schiara C. R. Vitâ Romae. an. 1687. - Gregorius Sala C. R. Vitâ. Bassani. an. 1690. - Tho. Anton. Campana. Vitâ. Mutinae. an. 1695. - Bernardus Champius Moulinius Gallus C. R. Vitâ. Parisiis. an. 1698. - Cajetanus Cottonius C. R. in D. Cajetani Icone lineamentis Virtutum expresso. Leopoli. an. 1718. - J. Bap. Barziza C. R. in Cajetano Venonae, impres. Veronae. an. 1719. Armenus Sacerdos. Vitâ D. Cajetani Polonica. Leopoli. an. 1740. - Eugenius Calderonius C. R. Vitâ. Madriti. 1720. Hieronymus Contadorius Argotus C. R. Vitâ. Ulyssipone Occidentali. an. 1722. - Cajetanus Magenius C. R. Vitâ. Venetiis. an. 1726. - Joh. B. Barziza (idē qui supra) in Encomiastico Vitae D. Cajetani impres.... an. 1738. - Scriptores Actorū Sanctorū per dies singulos digestorū. Vitâ D. Cajetani Tienis Latina, die septima Augusti. Tom. 2. Mēsis Augusti. Antuerpiae an. 1736. - Joh. Baptista Caracciolus

lus C. R. Vità latina. Pisis. an. 1738.- Andreas Nunnezius. Vità in L Epigrammatis Lusitanis ..... Emmanuel Corvalhojus Vitâ. Ulyssipone..... Ignatius Anton. Arauxius C. R. Vitâ .... Jo. Bapt. Dadiecius C. R. Vitâ Genuae. Aloysius M. Talazkius. Vitâ ...... Nonnullorum noscere nequivimus vel loca, vel annos impressionũ; vel utrumque. Et haec loca, atque annos variant quidam Auctores. Verùm nos, cum omnes libros inspicere non ita facile fuerit, probabiliora sumus sequuti. Et nostram seriem cum aliis conferat, qui accuratiorem, uberioremque percupit cognitionem. Scriptores vero illi latine non scripserunt, de quibus in serie non fuit id enunciatum.

FINIS.

Videat Adm. Reverendus Pater, & Excellentiss. D. Pater Magister Fancelli Ord. Serv. B. M. Virg. in Pisana Academia Sac. Theol. Professor. & referat, num in lucem dari possit, hac die 7. Decembris 1738. more Pis.

Clemens M. Frosini Vic. Gener.

De mandato Illustriss. ac Reverendiss. Francisci ex Comitibus de Guidis Archiepiscopi Pisarum librum legi, in quo sacra describuntur gesta D. CAJETANI TIENEI Clericorum Regularium Fundatoris, Auctore Excellentissimo viro D. Johanne Baptista Caracciolo in Pisana Universitate Philosophiæ Lectore, doctrina, eruditione, ac probitate notissimo: & sicut in eo nihil inveni, quod fidem, bonosque mores labefactare possit, ità, & maxime propter elegantiam, latinique sermonis puritatem, rerum ordinem, ac præstantiam, dignum, ut publici juris fiat, eumdem censeo; In quorum fidem.

Datum Pisis in Conventu S. Antonij die 22. Decemb 1737.

Fr. Joannes Petrus Fancelli Ord. Serv B. M. V. ac in Universit. Pisana Controversiarũ Lector.

Reverendissimus Pater D. Guido Grandius Abbas D. Michaelis in Burgo Ord. Camald. in Pisana Academia Matheseos Professor videat, & referat. Dat. in Aedibus S. I. apud Divum Franciscum hac die dec. oct. Kal. Jan. 1737.

F. Bernardus Bernardius Ord. Min. Conv. Inquisit. Gener. Pisarum.

Egregiam Historiam de Vita S CAJETANI THIENÆI ab Admodum Reverendo, ac Doctissimo P. D. Jo. Baptista Caracciolo Clerico Regulari, & in hac nostra Universitate Pisana Celeberrimo Philosophiæ Professore, satis eruditè, ac piissimè expositam legi de Reverendiss. P. Inquisitoris mandato, eamque dignam esse censui, ut typis mandetur. Ex Monasterio S. Michaelis in Burgo Pis. die 18. Decemb. 1737.

Ego D. Guido Grandius Abbas Camaldulensis.

Si ita est
Imprimatur.

Fr. Bernardus Bernardius Inquisit. Gener. Pis.

Imprimatur

Eques Blasius Curinius &c.

Sententiam meam dicere jussus a Reverendissimo Patre Praeposito Generali Clericorum Regularium D. Andrea Bolognetti de opere, cui titulus, *Vita D CAJETANI Clericorum Regularium Fundatoris*, quod praelo paravit R. P. D. Joa. Baptista Caracciolus Clericus Regularis in Pisana Academia Philosophiae Professor, illud Sancti Augustini lib. 1. de Trin cap. 3. opportunũ est, ut usurpem ,, Non omnia, quae ,, ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt, Fieri ,, potest, ut nonnulli, qui etiam haec nostra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, & in istos saltem incidant: Ideoque utile est, plures a pluribus fieri diverso sty-

,, lo,

,, lo, non diversa fide, etiam de quaestionibus eisdem, ut ad
,, plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.
Postremis hisce annis Sanctissimi Parentis nostri, Clericorum Regularium Patriarchae, Cajetani Thienaei res gestas legimus, italico idiomate a P. Magenio, Lusitanico a P. Argote, Hispanico a P. Calderonio, publicae luci donatas: quid ni prodeat quoque elaboratum opus P. Caraccioli? Quippe nihil in eo Sanctae Religioni, bonisve moribus discrepans castigandum occurrit: aliis immo hujus generis operibus latini sermonis elegantiâ, & venustate antecellit. In quorum fidem haec subscribebam.

Florentiae in aedibus Cleric. Reg.
4. idus Decembris anno MDCCXXXVII.

D. Cajetanus Maria della Croce
Cler. Reg. S. Theol. Lector.

Reverendissimi Patris D. Andreæ Bolognetti Nostræ Congregationis Præpositi Generalis jussui obtemperans, Librum, cui titulus, *Vita S CAJETANI Clericorum Regularium Fundatoris* a P. D. Joanne Baptista Caracciolo in Gymnasio Pisano publico Philosophiæ Professore, scriptum legi; in quo nihil Fidei, & bonis moribus contrarium, nihil approbatorum Scriptorum, optimorumve monumentorum authoritate non confirmatum inveni: propterea, quod typis donetur, dignissimum arbitror.

Florentiæ in Ædibus S. Michaelis die 8. Decemb 1737.

D. Joseph M. Olmo C. R.
SS. Canonum Lector.

Hoc opus inscriptum, *Vita S. CAJETANI*, a R.P.D. Jo. Baptista Caracciolo Nostræ Congregationis Presbytero compositum, & juxta assertionem Patrum, quibus id commisimus, approbatum, ut Typis mandetur, quod ad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes litteras manu propria subscripsimus, & solito nostro Sigillo firmavimus. Romæ in Ædibus S. Silvestri Montis Quirinalis. Die 14. Decemb. 1737.

D. Andreas Bolognetti Praep. Gener.
Cl. Reg.

D. Jo. Fran. Cagnola C. R. Secret.